

Picatrix



Latin version of the
Ghayat l'hakim

Aim of the Wise

P ICATRIX

Latin version of the

ghayat l'hakim

Aim of the wise

Prologue

Ad laudem et gloriam altissimi et omnipotentis Dei cuius est revelare suis predestinatis secreta scienciarum, et ad ilustracionem eciam doctorum Latinorum quibus est inopia librorum ab antiquis philosophis editorum, Alfonsus, Dei gracia illustrissimus rex Hispanie tociusque Andalucie, precepit hunc librum summo studio summaque diligencia de Arabico in Hispanicum transferri cuius nomen est Picatrix. Hoc autem opus perfectum fuit anno Domini MCCLVI, Alexandri MDLXVIII, Cesaris MCCXCV, et Arabum DCLV. Sapiens enim philosophus, nobilis et honoratus Picatrix, hunc librum ex CC libris et pluribus philosophie compilavit, quem suo proprio nomine nominavit.

In nomine Domini. Amen. Incipit liber quem sapientissimus philosophus Picatrix in nigromanticis artibus ex quampluribus libris composuit. Ut sapiens ait: primum quod agere debemus in omnibus rebus mundi est Deo regraciari. Propter quod dico quod ipse sit laudatus eo quod ex suo lumine revelantur secreta et abscondita patefiunt, et ex sua potencia cuncta miracula facta sunt, et in eo omnes petitiones omnesque sciencie computantur, diesque a noctibus ex suo precepto divisi sunt, et ex ipsius virtute ex nihilo omnia creata sunt quousque sarciuntur, et eius potencia omnes creature innovantur et in ipso secundum sue nature pertinenciam gubernantur. Ipse autem potens est, et per ipsum omnia per generacionem innovantur, et ipse cum aliis rebus non involvitur nec separatur ab eis eo quod non habet locum terminatum nec est extra ab eo; nam ipse est ipse locus. Cuncte lingue mundi huius narrare non possunt opera nec potencias suas explicare; eius vero mirabilia infinita sunt, et nihil est ei novum. Idcirco ipse sit laudatus, sibi que obedimus et eius prophetis et sanctis qui ex suo precepto illustrati fuerunt in mundo et hominibus vias ostenderunt, quibus Dei sciencias et sapiencias attingere possint. Unde ipsum rogemus quod nos in sui gratiam recipiat et mercedem et ad sui gloriam nos perducatur eternam. Amen.

O tu qui sciencias philosophorum intendere vis et scire ac eorum secreta inspicere, primo mirabilia magna artis que in suis posuerunt libris perquiras et intendere queras mirabilia sciencie nigromancie. Primum autem scire debes quod hanc scienciam philosophi celaverunt et eam hominibus discooperire nequierunt; imo eam pro viribus velaverunt, et cum verbis absconditis quicquid locuti fuerunt in ea et eciam cum signis et similibus ac si in aliis scienciis loquerentur. Et hoc pro eorum honestatibus et bonitate quia, si hec sciencia esset hominibus discooperata, confunderent universum. Et propter hoc figuraliter fuerunt locuti de ea ad hoc, ut aliquis ad ipsam attingere non valeret nisi esset sciencia illustratus ut ipsi. Et ideo in omnibus eorum occultacionibus vias dederunt et regulas quibus sapientes ad ipsam attingere valeant et proficere in omnibus que dicere voluerunt in occulto. Qua de causa librum istum compilavi et in ipso explanare intendo vias et semitas istius sciencie et glosare in quantum huius sciencie sapientes locuti fuerunt et ostendere illud quod in eorum libris occultaverunt verbis peregrinis viis et verbis levioribus.

Ego autem rogo altissimum creatorem quod iste noster liber non nisi ad manus perveniat sapientis qui intendere possit quicquid in eo sum dicturus et tenere in bono, et quicquid operabitur ex eo ad bonum et ad Dei servicium operetur.

Liber autem iste in quatuor dividitur libros et eorum quilibet dividitur in suas partes. Nam in primo libro tractatur de esse celi et eius effectum propter ymagines que sunt in ipso. In secundo loquitur in generali de figuris celi et motu octave spere et de ipsorum effectibus in hoc mundo. In tercio de proprietatibus planetarum et signorum, et eorum figuras et formas ostendit in suo colore et qualiter cum spiritibus planetarum loqui possit et quamplura alia nigromantica. In quarto vero de proprietatibus spirituum et de his que necessaria sunt observanda in ista arte et qualiter cum ymaginibus et suffumigacionibus et etiam cum aliis adjuvatur.

BOOK I

Sequuntur capitula primi libri

Capitulum primum. De sciencia cognoscendi in quo gradu es.

Capitulum secundum. Quid sit nigromancia et quid eius proprietas.

Capitulum tertium. Quid sit celum et de qua materia sit.

Capitulum quartum. De generalibus proposicionibus et composicionibus celi ad faciendum ymagines.

Capitulum quintum. De exemplis proposicionum et eis quibus indigemus ad faciendum ymagines.

Capitulum sextum. In quo gradu quilibet est in mundo et qualiter scitur quod homo est minor mundus et maiori mundo assimilatur.

Capitulum septimum. In quo gradu quelibet res mundi est et de aliis multis profundis per sapientes occultatis que in hoc nostro libro discooperire intendimus.

Capitulum primum. De sciencia cognoscendi in quo gradu es.

Scias, o frater carissime, quod maius donum et nobilius quod Deus hominibus huius mundi dederit est scire quia per scire habetur noticia de rebus antiquis et que sunt cause omnium rerum huius mundi et que cause magis propinque sunt causis aliarum rerum et qualiter una res cum alia convenienciam habet, et propter hoc sciuntur omnia que sunt et qualiter sunt, et qualiter una res post aliam in ordine elevatur, et in quo loco ille qui est radix et principium omnium huius mundi rerum existit, et per eum omnia dissolvuntur, et per ipsum omnia nova et vetera sciuntur. Ipse enim est in veritate primus, et nihil in eo deficit nec aliquo alio indiget cum ipse sui ipsius et aliarum rerum sit causa, nec ab alio recipit qualitates. Ipse vero non est corpus nec ex aliquo corpore compositus, nec est mixtus cum aliquo alio extra se sed totus est in se ipso. Et ideo dici non potest nisi unus. Et proprie est una veritas et unica unitas, et per eius unitatem quelibet res unitatem habet. Et ipse est prima veritas nec alterius indiget veritate; quelibet res ab ipso veritatem recipit. Omnia enim absque eo sunt imperfecta; nam ipse solus perfectus est. Nec veritas perfecta absque sua est nec unitas; sola autem eius veritas vel unitas perfecta dici potest. Omnia vero sunt sub eo, et ab ipso veritatem et unitatem, generationem atque corrupcionem tamquam a sua causa recipiunt. Et propter hoc sciri potest quam partem et quomodo et qualiter quelibet res ab ipso recipit de predictis. Ipse namque solus scit ordinem et gradum generacionis et corrupcionis omnium creaturarum, et que earum sunt prime et que medie et que postreme sunt; et quod postreme sunt cause earum corrupcionum, et quod ipse non sunt cause generacionis in aliquo; et quod medie causam habent in earum corrupcione et ipse sunt cause corrupcionis omnium existencium sub eis. Et prima earum est causa generacionis et corrupcionis omnium aliarum rerum sub eo existencium, et quod nihil eo alcius et perfectius est quod sit causa eius generacionis et corrupcionis. Nec est preter eum aliquis qui perfecte scire valeat ordinem rerum factarum quomodo et qualiter elevantur postreme per comparacionem unius ad aliud ut convenienciam habeant cum primis, et eciam a primis descendunt per ordinem ut convenienciam habeant cum postremis. Nam ipse solus primus est philosophia perfecta et sciencia veritatis. Et scias quod scire est res summa et nobilis, et quotidie studere debes in Deo – scilicet in mandatis ipsius atque in bonitate eius – quia sciencia, sensus et bonitas ab ipso procedunt. Et eius spiritus est lux nobilis et alta. Et qui in ipso studere intendit res istius mundi debet despiciere cum finem habeant et nulla in eis sit stabilitas. Et ab ipso tamquam ab alto mundo hominis spiritus descendit; et ideo desiderare debet ad suum locum reverti unde venit et ubi fuit radix eius. Ibique enim sciet qualis est mundus et eius effectus, et quomodo per eius creatorem factus sit. Et causa sciendi ista est vera sapiencia. Et scias quod ipse Deus est factor et creator totius mundi omniumque rerum existencium in ipso et quod iste mundus et omnia in ipso existencia ab ipso altissimo sunt creata. Et racio huius est nimis profunda et fortis ad comprehendendum; et id quod ex ea comprehendere potest cum studio et sciencia habetur. Et hoc est maximum donum quod ipse Deus hominibus dedit, ut studeant scire et cognoscere. Nam studere servire Deo est. Et nota quod scire tres proprietates habet, quarum prima est quod semper acquirit et numquam minuit, secunda quod semper elevatur et numquam degradatur, tertia quod semper apparet et numquam se abscondit. Item habet tres

fortitudines, quarum prima est quod facit despiciere res huius mundi, secunda quod acquirit bonos mores, tertia quod non addiscit nisi quod ipse vult et diligit, et illud inquirat cum ratione et voluntate.

Quare scias quod hoc secretum quod in hoc nostro libro intendimus discooperire acquiri non potest nisi prius acquiratur scire. Et qui scire intendit acquirere studere debet in scienciis et eas ordinatim perscrutari quia hoc secretum haberi non potest nisi per sapientem et studentem in sciencia ordinatim. In hoc autem secreto est magna puritas cum qua te multum adiuuare poteris.

Capitulum secundum. Quid sit nigromancia et quid eius proprietas.

Scias quod ista sciencia nominatur nigromancia. Nigromanciam appellamus omnia que homo operatur et ex quibus sensus et spiritus sequuntur illo opere per omnes partes et pro rebus mirabilibus quibus operantur quod sensus sequatur ea admeditando vel admirando. Et ista sunt difficilia intellectui ratione sensus et visui latent suis similitudinibus. Et hoc est propter quod sunt potencie divine pro antepositis rebus pro accedendo ad predicta; et hec sciencia nimis est profunda et fortis intellectui. Et pars istius sciencie est in practica propter quod sua opera sunt de spiritu in spiritum, et hoc est in faciendo res similes que non sunt essencia. Et ymaginum compositio est spiritus in corpore, et compositio alchimie est corpus in corpore. Et generaliter nigromanciam dicimus pro omnibus rebus absconditis a sensu et quas maior pars hominum non apprehendit quomodo fiant nec quibus de causis veniant. Et ymagines sapientes appellant telsam, quod interpretatur violator quia quicquid facit ymago per violenciam facit et pro vincendo facit illud pro quo est composita. Pro opere victorie facit proporcionibus arimetricis et influenciis atque celestibus operibus. Sunt composite corporibus propriis ad implendum predicta, et hoc in temporibus opportunis; et suffumigacionibus quibus fortificantur attrahuntur spiritus ad ipsas ymagines, et istud scire elixir assimilatur que vincit corpora et alterando ea reducit ad alia corpora magis munda; et sic ymagines faciunt que omnia faciunt per violenciam. Et similiter operatur venenum quod discurrendo corpora, alterando ea reducit ad suam naturam, propter quod corpus convertitur in aliud corpus per vim compositiois in eo existentis. Et scias quod proprietates lavature que dicitur elixir est composita ex terra, aere, igne et aqua. Et iste quatuor fortitudines adunantur in ea et reducuntur ad ipsius proprietatem et naturam, quia lavatura quando ingreditur et penetrat in quovis corpore suas spargit partes ut magis allevetur alteratum et abilius obediat et eiusdem transmutetur in gubernacionem. Et similiter elixir idem in alchimia facit quia leviter convertit corpora de una natura in aliam nobiliorem, primo cooperiendo spiritum, duriciem et stridorem, et tollendo sonum et sordiciem. Et istud est secretum elixir secundum sapientes antiquos. Et hoc nomen elixir interpretatur fortitudo que alias fortitudines frangit convincendo et transmutat de una proprietate ad aliam quousque reducit eam ad sui similitudinem. Et elixir esse non potest nisi compositum ex animalibus, arboribus et vegetabilibus, et de mineris pro una partium compositiois quemadmodum dicunt qui dicunt quod assimilatur mundo, et mundus est compositus ex rebus illis quas diximus; et similiter elixir debet esse compositum ex istis similibus rebus quia quelibet pars eius recipit unam in

aliam et ingreditur una in alteram propter quod arbores non possunt stare per semetipsas nec alia vegetabilia nec animalia stare possunt absque vegetabilibus, et similiter minera indiget coctione et vi ignis cum humiditate et vi aeris; et tunc adimpletur. Et hoc invenimus in libro qui nominatur Liber de ordinacionibus. Nunc autem ad nostrum propositum redeamus.

Et dico quod nigromancia dividitur in duas partes, scilicet in theoreticam et practicam. Theorica est sciencia locorum stellarum fixarum, quia ex eis componuntur celestes figure et forme celi, et quomodo radios suos proiciunt in planetas se moventes, et ad sciendum figuras celi quando intendunt illud facere quod querunt. Et in hoc comprehenditur totum illud quod sapientes antiqui dixerunt de electionibus horarum et temporum ad opus ymaginum. Et scias quod ille qui scit equaliter in faciendo ymagines scit quod virtus ymaginum consistit tota in electionibus horarum et temporum ad habendam propriam constellationem et convenientem rebus pro quibus ymagines funduntur. Et eciam verba sunt in una parciū nigromancie quia verba in se habent nigromancie virtutem. Ideo dicit Plato quemadmodum amicus malis et opprobriosis verbis fit inimicus, sic bonis et amicabilibus verbis inimicus efficitur amicus. Et ex hoc patet quod verbum in se habet potenciam nigromancie. Et maior fortitudo est quando plures fortitudines ad invicem coniunguntur; et tunc est completa virtus nigromancie. Et hec est theoretica. Practica vero est compositio trium naturarum cum virtute infusionis stellarum fixarum; et hoc sapientes appellant virtutem, et nesciunt cuius maneriei sit neque qualiter adiungatur virtus predicta. Postquam vero insimul adiuncta fuerint ista que habent virtutes predictas, debent habere calorem elementarem; et hoc est in suffumigacione quod adiuvat ad complendam virtutem illam incompletam. Et debent similiter habere calorem naturalem; hoc est ad comedendum. Et ista duo completa esse non possunt nec possunt adiuvari sine spiritu hominis et animalis.

Et scias quod nigromancia uno modo acquiritur actibus et operibus, et alio modo subtilitate. Illa vero que acquiritur actibus et operibus acquiritur ex magisterio quod operatus est sapiens mundi de circulo Lune et sapiens qui locutus fuit in libro De alfilaha ut dicit in eodem libro loco in quo dicitur quod accipias quatuor aves. ☐ Et pars que acquiritur subtilitate est ex operibus quibus operatus est ille sapiens qui operatus est in motibus circuli Saturni ac eciam sapiens in motibus circuli Veneris. Et hi duo sapientes eciam locuti fuerunt in preallegato libro.

Et antiqui sapientes Grecorum operabantur subtilitatibus ad visum alterandum et ad faciendum apparere ea que non sunt. Et hoc nominabant scienciam ymaginum yetelegehuz, quod interpretatur attractio spirituum celestium; et hoc nomen imponunt omnibus partibus nigromancie. Et non habuerunt posse attingendi ad scienciam istam nisi per astrologiam nec excusare se possunt ab ipsa astrologia quin ad minus scienciam habeant figurarum in octava spera existencium et suorum motuum aliarumque sperarum et divisionis 12 signorum cum suis gradibus et eorum naturarum, et qualitatuum cuiusque signorum et eorum cuiuslibet significacionum in rebus mundi, et parciū cuiuslibet planetarum in ipsis 12 signis, et zodiaci motuum, et aliarum rerum coniunctarum cum dictis, et naturarum septem planetarum Capitisque et Caude Draconis et eorum locorum in celis et cuiuslibet eorum significacionum in rebus mundi, et ascendencium concedendorum cuiuslibet predictorum pro sibi ipsis, et qualium

ascendencium concedencium pro aliis, et radicum significacionum, que sunt radices astronomie, et sciendi quis planetarum septem in figura dominetur et cognoscendi ordinem suum in illo dominio et extrahendi partes planetarum in zodiaco. Et hec sunt sine quibus non potest aliquis ad opus istius sciencie pervenire; et hec omnia in libris astronomie inveniuntur. Et hoc est quod dicit primus sapiens qui locutus est in libro preallegato De alfilaha, ¶ubi dicit: me supra 7 celos elevaverunt. Vult dicere quod scivit omnes suos motus cum suis qualitatibus per vim cognicionis et sensus. Et hoc est quod ait Deus ¶quando dixit: exaltemus eum in altum. Vult enim dicere quod: ei demus sensum et intellectum ut ad altas ciencias valeat pervenire.

Capitulum tertium. Quid sit celum et de qua materia sit.

Forma vero celi est sperica, rotunda et equalis in sua superficie, et sic sunt omnia que sunt in ipso in suis qualitatibus et temporibus; et quidam existimavere quod celum in uno tempore apparet non rotundum in suis qualitatibus. Quod falsum est cum celi forma sit propria forma et aliter esse non potest eo quod est forma spiritus, quasi dicat quod spiritus est primus et quod antiquius [non] sit in mundo. Nam sine dubio id quod est primum et antiquius in mundo formam debet habere completam. Forma autem et figura completa est circulus quia est prima figurarum inter omnes figuras et ipsa una linea continetur. Et nil generacionis et corrupcionis corporum mundi potest esse in celo, et e converso non potest aliqua pars celi in generacionibus et corrupcionibus per essenciam esse in mundo; et hoc nullatenus esse potest nisi vi et superacione. Est enim celum quemadmodum diximus spera rotunda in omnibus suis partibus et valde in sua rotunditate equalis, lineaque circulari contentum, in cuius medio est punctus a quo omnes linee ad ipsam lineam circumferencialem deducte sunt equales; et punctus ille centrum dicitur. Etdicunt quod iste linee significant radios quos stelle proiciunt in mundo ut in centro; et ex hoc est opus et virtus ymaginum, et hoc modo operantur. Et ut diximus celum esse speram rotundam et totum in se continet mundum, sua scilicet capacitate. Et talis spera nullum habet excessum nec locum et est figura in se permanens; et ab ipsa omnes potencie spirituum elevantur. Et celum stellarum fixarum est infra eum, et eius centrum ab ipso est separatum cum eius centrum sit idem cum centro terre. Et natura celi est una natura, et omnes motus tam corporum quam nature sequuntur motum celi. Et omnis calor est ex eo; et per hoc intendimus quod quicquid sit in mundo sit per eum. Et gradus celi sunt 360 in prima divisione, et totidem sunt figure; et per eas omnia iudicia in astrologia dividuntur quoniam et iudicia sequuntur ymagine celi, et celum est causa omnium operacionum inferiorum.

Opera autem et potencie quando planete sunt in eis et aspectus et coniunctiones quas ad invicem habent cuiuslibet maneriei coniunctionis, et opera planetarum que habent in rebus terrenis in mundo sunt istius maneriei. Quia si fuerit Saturnus moventur res que sunt frigide et sicce, et si fuerit Iupiter res calide et humide, et si Mars calide et sicce, si vero Venus res modici caloris et multe humiditatis, si autem Mercurius debilis caloris et multe siccitatis, si vero fuerit Luna moventur res frigide et humide, quod si stelle fixe fuerint moventur suis potenciis quemadmodum in Luna. Et cum aliquis planeta fuerit in aliquo gradu celi in quo habeat posse, et ipse planeta fuerit calidus manifeste et debilis in humiditate et siccitate, et Sol trahendo suas

virtutes, debemus iudicare quod iste effectus crescet et augebit. Et similiter si invenerimus quod planeta sit agens in augmentando rem per suam naturam et fortitudinem, illa res erit forcior et potencior in effectum; et si planeta fuerit contrarium operatus, debilitat effectum secundum fortitudinem ipsius in illo opere. Et secundum hoc effectus intelligas planetarum et non errabis. Et hoc accipere debes in libris astronomie.

Capitulum quartum. De generalibus propositionibus et compositionibus celi ad faciendum ymagines.

Quando vero sapientes antiqui voluerunt facere ymagines, non potuerunt recusare constellationes que sunt radices in sciencia ymaginum et sunt quibus patefiunt sui effectus. Nos autem dicere intendimus istarum constellationum radices cum quibus te iuvabis in omnibus operibus ymaginum; et iste radices erunt opus celi pro effectibus ymaginum. Illi autem qui ymagines facere querunt primo equacionum planetarum scienciam habeant aliarumque constellationum necnon et motuum celi; et iterum firmiter debent credere in operibus que faciunt in ymaginibus quod illud quod faciunt erit veridicum et sine dubio, nec dubitent aliquid de ipsis effectibus, et quod hoc non faciunt causa tentandi aut probandi utrum sint vera ane; imo credant in suis voluntatibus vera esse. Et per hoc roboratur spiritus racionabilis et adiungitur ad illam virtutem mundi alcioris ex quo procedit spiritus illius agentis in ymagine; et tunc erit quod queritur. Nunc autem unum volo te docere quod valde necessarium est istis operibus, et est operantis que magis est circa hunc mundum. Dico enim tibi quod non facias aliquid in istis operibus nisi Luna existente in gradu convenienti et appropriato illis operibus que facere intendis, quoniam Luna in istis inferioribus habet potencias et opera manifesta que cuique non latent. Et postea dicam tibi summas conclusiones in istis actibus que multum tibi proderunt in istis operibus, sed ad presens dicere intendo effectus et opera Lune in terminis suarum mansionum secundum quod concordati sunt omnes sapientes Indie in 28 mansionibus Lune.

Prima enim mansio Lune dicitur Alnath. Et incipit a primo minuto Arietis, et finitur in gradu 12 minuto 51 et secundo 26 eiusdem signi. Et sapientes Indi incipiebant itinera et sumebant medicinas quando Luna erat in hac mansione. Hanc autem mansionem ponere debes pro radice in omnibus ymaginibus quas facere intendis pro euntibus in itinere ut secure vadant et cum salute revertantur. Debet eciam poni pro radice ad discordiam et inimiciam inter virum et uxorem ponendam, et inter duos amicos ut fiant inimici, et eciam inter duos socios discordiam ponere; et similiter facias cum volueris ut servus fugiat. Et ostendam tibi radicem et fundamentum quod observari debet in omnibus actibus et operibus bonis, scilicet ut videas quod Luna sit in bono esse et sit salva a Saturno et Marte et combustione Solis; et e converso in omni opere malo, scilicet quod Luna sit in combustione Solis et Saturnus et Mars vel saltem alter eorum respiciat eam.

Secunda mansio dicitur Albotain. Et incipit in Arietis gradu 12 minuto 51 secundo 26, et terminatur in eiusdem signi gradu 25 minuto 42 secundo 52. In ista vero mansione facias ymagines cum rivos vel puteos fodere volueris, et eciam ad thesauros absconditos inveniendos et pro multitudine tritici seminati et ad destruendum domorum edificia antequam sint completa; et similiter facias ymaginem in ea ad faciendum rabiare unum hominem pro alio et eciam

ut magis sit fortis et firmus carcer captivorum.

Tercia mansio dicitur Azoraya. Et incipit in gradu predicto, et finitur in gradu 8 minuto 34 secundo 2 Tauri. In hac vero mansione facias ymaginem ad navigantes per mare salvandos ut cum salute redeant, et pro carcere captivorum firmando, et pro complendo opera alchimie, et pro operibus omnibus que cum igne fiunt, et pro venacionibus in terra, et ad ponendum dilectionem inter virum et uxorem.

Quarta mansio dicitur Aldebaran. Et incipit in Tauri gradu 8 minuto 34 secundo 2, et terminatur in eodem signo, scilicet in gradu 21 minuto 25 secundo 44. In hac autem mansione facias ymaginem ad civitatem damnandam vel villam vel aliquod aliud edificium quod volueris non durare ut ad destructionem pergant, et ut dominus abhorreat servum, et ad ponendum discordiam inter virum et uxorem, et pro damnando fontes, puteos et illos qui querunt thesauros subterraneos, et ad interficiendum et alligandum omnia reptilia et animalia venenosa.

Quinta mansio dicitur Almices. Et incipit a 21 gradu minuto 25 secundo 44 Tauri, et finitur in 4 gradu 17 minuto 10 secundo Geminorum. In ista autem mansione fac ymagine pro ponendo pueros ad artes et ministeria addiscendum, et ad salvandos itinera pergentes et ut velociter redeant et ut navigantes salvi vadant, et pro meliorando edificia et duorum societatem destruendo, et ad benevolentiam mariti et uxoris ponendam; et hoc quando Luna fuerit in signo humano et ascendente, salva a Saturno et Marte et combustione Solis ut superius in prima mansione narravimus. Et hec sunt signa humana: Gemini, Virgo, Libra, Sagittarius et Aquarius.

Sexta mansio dicitur Athaya. Et est a gradu 4 minuto 17 secundo 10 Geminorum usque ad gradum 17 minutum 8 secundum 36 eiusdem. In hac autem mansione facias ymagine ad civitates et villas damnandas, et pro exercitibus circa eas ponendis, et ut inimici regum ex eis sumant vindictam, et ad messes et arbores damnandas, et ad amicitiam inter duos socios introducendam, et pro meliorando venacionem in terra, et ad medicinas damnandas ut eas capientibus non operentur.

Septima mansio dicitur Aldirah. Et incipit a gradu 17 minuto 8 secundo 36 Geminorum, et terminatur in fine eiusdem. In ista mansione facias ymagine ad augendas mercaciones et earum lucra ut ad bonum vadant, et ad augendas messes, et ut salubriter vadant navigantes in aqua, et ad ponendas amicitias inter amicos et socios, et ad expellendas muscas ut non ingrediantur quo volueris, et ad destruenda magisteria; et erit bona ad eundem coram rege vel alta quacumque persona, et ad faciendum inclinare regiam benevolentiam vel alterius domini quocumque volueris.

Octava mansio dicitur Annathra. Et incipit a gradu primo Cancri, et durat usque ad 12 gradum minutum 51 secundum 26. In ista vero mansione bonum est facere ymagine ad amorem et amicitiam, et ut salvus pergat ille qui vadit per vicos et carreriam, et ad ponendam amicitiam inter duos socios, et ut carcer captivorum sit validior, et ad damnandum et affligendum captivos, et ad expellendum mures et cimices ex quocumque loco volueris.

Nona mansio dicitur Atarf. Et incipit in 12 gradu 51 minuto secundo 26, et finitur in gradu 25 minuto 42 secundo 51 eiusdem. In hac autem mansione bonum est facere ymagine ad messes damnandas, et ad infortunandum euntes in itinere et omnes homines querentes facere malum, et ad ponendum divisiones et inimicitias inter socios, et ad defendendum se hominem ab alio

homine qui aliquid ab eo petierit.

Decima mansio dicitur Algebha. Et incipit a gradu 25 minuto 42 secundo 51 Cancri, et terminatur in 8 gradu minuto 34 secundo 18 Leonis. In ista mansione facias ymages ad amorem inter virum et uxorem, et ad damnandos inimicos et caminantes, et ad firmandos carceres captivorum, et ad firmanda edificia et pro complendo ea, et ad benevolenciam sociorum et ad auxiliandum se ad invicem.

Undecima mansio dicitur Azobra. Et incipit a gradu 8 minuto 34 secundo 18 Leonis, et finitur in gradu 21 minuto 25 secundo 44 eiusdem. In ista mansione facias ymages ad extrahendos captivos, et ad ponendum exercitum civitatibus et villis, et ad mercancias dirigendas et lucra in eis, et ut viatores per caminos salvi vadant et incolumes, et ad firmanda edificia ut sint stabilia, et ad augendum divicias sociorum.

Duodecima mansio dicitur Acarfa. Et incipit in gradu 21 minuto 25 secundo 44 Leonis, et terminatur in gradu 4 minuto 17 secundo 6 Virginis. In hac mansione facias ymages ad meliorandum messes et plantas, et ad divicias cuiuscumque perdendas, et ad naves damnandas, et pro meliorando socios, magisteria, captivos et servos quod fiant stabiles et bona habeant.

Tercia decima mansio dicitur Alahue. Et incipit in gradu 4 minuto 17 secundo 6 Virginis, et durat usque ad gradum 17 minutum 8 secundum 36 eiusdem. In ista vero mansione facias ymages ad augendas mercaciones et earum lucra, et ad crescendas messes, et ut viatores bene habeant in caminis, et ad complendum edificia, et ad extrahendum carceratos, et ad colligandum se hominibus altis ut bene ex eis habeat.

Quarta decima mansio dicitur Azimech. Et incipit in 17 gradu 8 minuto secundo 36 Virginis, et terminatur in fine eiusdem. In ista vero mansione facias ymages ad amorem viri et uxoris, et ad sanandum infirmos phisica et medicinis, et ad damnandas messes et plantas, et ad perdendum libidinem, et ad damnandum euntes per caminos, et pro meliorando reges ut bene se habeant et ascendant eorum regna, et ut navigantes bene pergant et salvi, et ad amicitiam sociorum.

Quinta decima mansio dicitur Algafra. Et incipit in primo gradu Libre, et finitur in gradu 12 minuto 51 secundo 26 eiusdem. In ista vero mansione facias ymages ad fodiendos puteos, et ad inquirendum thesauros subterraneos, et ad impediendum viatores ut ire nequeant in itineribus suis, et ad dividendum maritum ab uxore ut numquam se coniungant ad invicem, et ad ponendum discordiam inter amicos et socios, et ad dispergendum inimicos a suis locis, et ad destruendas domus inimicorum.

Sexta decima mansio dicitur Azubene. Et incipit in gradu 12 minuto 51 secundo 26 Libre, et terminatur in gradu 25 minuto 42 secundo 52 eiusdem. In hac vero mansione facias ymages ad merces damnandas, messes et plantas, ad discordiam inter amicos, virum et uxorem, ponendum, et ad damnandum mulierem quam queris, et ad euntes in itinere impediendum ne via illorum compleatur, et ad generandum discordiam amicorum et captivos a carceribus liberandum.

Septima decima mansio dicitur Alichil. Et incipit in 25 gradu 42 minuto 52 secundo Libre, et terminatur in gradu 8 minuto 36 secundo 2 Scorpionis. In ista autem mansione facias ymages ad deceptos meliorandum ut bene succedat eis, et ad ponendos exercitus circa civitates et villas, et ut edificia firmiora sint et stabiliora, et ad navigantes in aqua salvandos. Et omnes

concordati sunt quod componentes amicicias cum amico et Luna sit in ista mansione quia ipsa amicitia durabit et numquam destruetur; et ideo in ista mansione facias omnia que sunt ad amorem durabilem ordinanda.

Decima octava mansio dicitur Alcalb. Et incipit in gradu 8 minuto 38 secundo 2 Scorpionis, et durat usque ad gradum 21 minutum 25 secundum 44 eiusdem. In hac vero mansione facias ymagines ad homines contra reges conspirandum et vindictam de inimicis et quicquid volueris, et ad edificium edificandum atque firmandum, captivos ex carceribus liberandum et amicos dividendum.

Decima nona mansio dicitur Exaula. Et incipit in 21 gradu 25 minuto 44 secundo Scorpionis, et terminatur in gradu 4 minuto 17 secundo 10 Sagittarii. In ista autem mansione facias ymagines pro exercitu circa civitates et villas ponendo, in ipsas ingrediendo et acquirendo, quicquid ex eis volueris habendo, divicias cuiuscumque placuerit destruendo, homines unius loci expellendo, homines euntes per carrerias et vicos meliorando, messes augendo, captivos fugando, naves destruendo et frangendo, divicias sociorum dividendo et destruendo et captivos interficiendo.

Vicesima mansio dicitur Nahaym. Et incipit in gradu 4 minuto 17 secundo 10 Sagittarii, et terminatur in gradu 17 minuto 8 secundo 46 eiusdem. In hac vero mansione facias ymagines ad bestias pravas et inobedientes domandas, euntes in carreriis cito revertendum, quosvis homines veniendum quo queris, bonos homines ad invicem sociandos, carceres captivis firmandum et eis mala inferre et divicias sociorum damnandum.

Vicesima prima mansio dicitur Elbelda. Et incipit in gradu 17 minuto 8 secundo 46 Sagittarii, et durat usque ad finem eiusdem. In hac autem mansione facias ymagines ad firmandum edificia, messes crescendas, et qui in eis lucrati fuerint denarios firmiter retinendo, euntes per vicos salvando et uxorem a proprio marito separando.

Vicesima secunda mansio dicitur Caadaldeba. Et incipit in primo gradu Capricorni, et durat usque ad gradum 12 minutum 51 secundum 26 eiusdem. In ista mansione facias ymagines ad infirmitates sanandas, inter duos homines discordiam ponendum, servos et captivos fugiendum, inter socios benevolenciam habendum et captivos evadendum.

Vicesima tertia mansio dicitur Caaddebolach. Et incipit in 12 gradu 51 minuto 26 secundo Capricorni, et finitur in 25 gradu 42 minuto 52 secundo eiusdem. In ista vero mansione facias ymagines ad infirmitates sanandas, ad amicos iungendum, virum ab uxore dividendum, captivos evadendum et de carceribus fugiendum.

Vicesima quarta mansio dicitur Caadacohot. Et incipit in 25 gradu 42 minuto 52 secundo Capricorni, et durat usque ad gradum 8 minutum 34 secundum 28 Aquarii. In ista vero mansione facias ymagines ad mercimonia meliorandum et ex eis lucrandum, inter uxorem et maritum benevolenciam habendum, milites ex inimicis victoriam reportandum, sociorum divicias damnandum et magisterio obviandum ut non compleantur.

Vicesima quinta mansio dicitur Caadalhacbia. Et incipit in gradu 8 minuto 34 secundo 28 Aquarii, et terminatur in gradu 21 minuto 25 secundo 44 eiusdem. In hac autem mansione facias ymagines exercitus circa civitates et villas apponendo, ex inimicis vindictam capiendum ipsisque mala quantum libuerit inferendo, nuncios invitando nunciaturas complere et ut cito revertantur, uxorem a viro dividendo, messes damnando, virum cum uxore

et uxorem cum viro ligare ne ad invicem valeant commisceri, quodcumque membrum humani corporis volueris ligando ut ex eo se iuvare non possit, captivorum carceres magis affirmando; et est bona ad edificia compensanda. Vicesima sexta mansio dicitur Almiquedam. Et incipit in gradu 21 minuto 25 secundo 44 Aquarii, et finitur in gradu 4 minuto 17 secundo 10 Piscis. In ista vero mansione facias ymagine pro vinciendo homines ut se ad invicem diligant, euntes in carreriis salvando, edificia et carceres captivorum firmando et ipsis mala inferendo.

Vicesima septima mansio dicitur Algarfalmuehar. Et incipit in 4 gradu 17 minuto 10 secundo Piscis, et finitur in gradu 17 minuto 8 secundo 36 eiusdem. In ista vero mansione facias ymagine ad mercimonia augenda et in eis luca acquirenda, socios associandum, messes augendum, infirmitates sanandum, cuiuscumque volueris divicias perdendum, edificia ne fiant impediendum, navigantes per mare periclitandum, carceres captivis prolongandum et cuicumque volueris mala faciendum.

Vicesima octava mansio dicitur Arrexhe. Et incipit in 17 gradu 8 minuto 36 secundo Piscis, et durat ad finem eiusdem. In ista autem mansione facias ymagine ad mercimonia augenda, civitates obsidendas, messes crescendas, res compensandas, et ad perdendum iocalia, et thesauros perdere faciendum, euntes per carrerias ut sani vadant et cum salute redeant, inter virum et uxorem pacem et concordiam infundendum, carceres captivorum firmandum ipsisque et navigantibus in navibus mala inferendum.

Sapientes vero Indi has 28 mansiones pro radice tenebant in omnibus eorum operibus et electionibus.

Et radix huius est ut aspicias in omnibus operibus bonis Lunam esse salvam a Saturno et Marte et eorum aspectibus et a Solis combustione; et iungatur fortunis bonis aspectibus – trino videlicet aut sextili aspectu. Et in omnibus his aspicias quod Luna separetur a fortuna et alteri fortune iungatur. Et e converso facias in malis operibus.

Et oportet operatorem artis magice esse credentem in suis actibus sine aliqua dubitatione operis quia ista est dispositio operantis qui bene disponatur ad recipiendum opera predicta et virtutes ex illis quas facere intendit. Et talis dispositio, scilicet istius maneriei, non potest esse nisi in homine tantum; sed dispositio que est in aliis sensibilibus est quemadmodum recipiunt sensitivum suis propriis naturis sicut cera leviter recipit formas impressas in ea, et quemadmodum recipit demonium demoniacus virtute alterius propter quod corpus eius est dispositum ad recipiendum tale demonium; et hoc propter debilitatem membrorum impotencium ad resistenciam talium faciendam. Et similiter invenitur dispositio debilitatis loco fortitudinis quemadmodum est dispositio quam oportet in rebus ex quibus ymagine componuntur; omnia enim sunt disposita ad recipiendum aliquod opus congruum eis. Et hec est radix in istis operibus, et omnes concordati sunt in ea. Et quando fuerit dispositio ad recipiendum talia, erit receptio facta; et cum fuerit receptio, erit opus patens et manifestum, et figura recipiet fortitudinem. Et erit opus quod queris quousque materia et forma erunt in unum coniuncte ut unitur figura hominis in speculo et aqua et sicut est unitas spiritus cum corpore.

Et cum facere volueris opus tuum in die, disponas ut Luna sit in ascendente et ascendens sit ex signis diurnis; et si fuerit in nocte, sit ascendens signum nocturnum. Et si fuerit ascendens ex signis directe ascendentibus, erit opus

magis leve et certum; et si fuerit ascendens ex signis tortuose ascendentibus, gravius erit opus. Et ideo melioramentum et eorum nocumentum est ex aspectibus fortunarum; ut si ascendens esset ex signis directe ascendentibus et infortuna esset in eo, damnificat et destruit opus et gravat eum in esse, et si fuerit ascendens ex signis tortuose ascendentibus et in eo fortuna vel ipsum aspiciat bono et amicabilem aspectu, erit illud opus leve ad faciendum, et similiter quando ascendunt signa diurna in nocte et nocturna in die et fortune aspicientes ea dirigunt et fortificant; et si aspexerint infortune destruunt. Et illum qui intendit ymaginem facere oportet quod omnino cognoscat signa tortuose ascendencia et directe, fixa et mobilia et communia, diurna et nocturna, planetas fortunatos et infortunatos et quando Luna est salva ab accidentibus sibi contradicentibus; et cognoscat quibus ymaginibus sint appropriati planete et omnia signa. Et caveas tantum quantum poteris operandi opera ad bonos effectus pertinencia Luna existente eclipsata ac eciam sub radiis Solis per gradus 12 ante vel retro. Et eodem modo salvabis a Saturno et Marte et quod ipsa non sit descendens in latitudine meridionali quando egreditur dictos 12 gradus superius nominatos; et illud idem in oppositione. Et caveas similiter ut non sit minuens cursu et tarda, quod est quando incedit minus 12 gradibus in die, quia tunc assimilatur motui Saturni, et quod non sit in via combusta, quod est magis cavendum – videlicet a 18 gradibus Libre usque ad 3 gradum Scorpionis – nec in fine signorum, qui sunt termini infortunarum, nec cadens ab angulo medii celi – videlicet in nona domo. Quod si forte contingeret in aliquibus operibus expresse necessariis que nullatenus expectari possent usque ad adaptationem Lune ab omnibus supradictis infortuniis, ponas Iovem et Venerem in ascendente vel medio celi quia ipsi rectificant infortunia Lune. Et scias quod quicquid dicimus non dicimus nisi ad discooperiendum secreta que in libris sapientum sunt scripta. Et rogamus Deum omnipotentem quod sua pietate et mercede liber iste non perveniat nisi ad sapientum et bonorum virorum manus. Tu autem custos esse debes operis predicti ut nemini reveles indigno.

Capitulum quintum. De exemplis propositioinum et eis quibus indigemus ad faciendum ymagines.

Cum ymaginem facere volueris ad amorem inter duos ponendum et quod eorum amor et dilectio habeat roboris firmitatem, facias ymagines amborum in suis similitudinibus. Et fiant in hora Iovis vel Veneris, et Caput Draconis sit in ascendente, et Luna sit cum Venere vel eam aspiciat bono aspectu, et dominus 7 domus aspiciat dominum prime domus trino aut sextili aspectu. Et postea dictas ymagines insimul iunge amplexatas et subterra eas in loco alterius eorum – illius scilicet quem vis ut magis diligat alium. Et fiet quod volueris.

Ymagines ad generandum pacem et amorem inter duos. Facias duas ymagines sub ascendente eius interrogacionis. Et fortunabis ascendens et decimam domum, et removeas infortunas ab ascendente, et ponas dominum decime domus fortunam et ipsum aspicientem dominum ascendentis de trino vel sextili aspectu.

Hic autem patefacere intendo aliqua necessaria in aspectibus. Dico enim quod aspectus trinus est complete dilectionis, cuius ratio est quod omne signum ignee nature aspiciat aliud eiusdem nature trino aspectu, et signum

terree nature aspiciat aliud eiusdem nature trino aspectu, et similiter intelligendum est de signis aereis et aquaticis; et ex ipso aspectu completur perfecta amicitia. Et aspectus sextilis est medie amicitie propter quod signa isto aspectu se aspiciencia concordantur in naturis activis et non passivis et ista de causa vocatur aspectus medie amicitie. Et aspectus quartus est medie inimicitie quia aspiciunt se ex duabus naturis contrariis. Et aspectus oppositus est perfecte inimicitie eo quod signa se aspiciencia contrariantur ad invicem in omnibus quatuor qualitibus naturalibus. Nunc autem redeamus ad nostrum propositum.

Et dico quod facias secundam ymaginem: si fuerit pro duobus amicis, cuius ascendens sit undecima prime domus predictae ymaginis prime; et si fuerit vir et uxor inter quos volueris amicitiam generare, sit ascendens secunde ymaginis septima domus prime. Et facias quod dominus ascendens illius qui querit redire ad amicitiam aspiciat dominum ascendens alterius bono aspectu et quod bene recipiatur ab eo bona receptione. Postea iungas ymages et ipsas sub terra in loco illius qui querit amicitiam; et erunt amici abinde ut antea.

Ymago ad amorem inter duos ponendum. Facias duas ymages ascendente prima facie Cancri, et Venus in ea, et Luna in prima facie Tauri et in undecima domo. Et cum ymages sic feceris, adiungas eas amplexatas ad invicem et sub terra eas in loco alterius eorum. Et diligenter se et habebunt amorem durabilem inter eos. Et istas appellant figuras alteracionis, et de eis loquitur Ptolomeus in libro Centiloquii verbo 33. Et nos locuti erimus de hoc in libro quarto huius nostri voluminis; ibi enim explanabimus, si Deus voluerit.

Ymago ad amorem durabilem. Facias duas ymages, et ponas fortunam in ascendente et Lunam in Tauro iunctam Veneri. Et scribas in una ymagine cifram – videlicet figuram algorismi que talis est: 0-220 vicibus, ipsamque figuram scribas in alia ymagine 284 vicibus. Et ambas iungas insimul se amplexantes; et tunc erit completus amor durabilis inter eos.

Ymago ut reges et magnates quemcumque volueris diligant. Facias ymaginem in forma illius hominis et in nomine suo hoc modo. Fortunabis ascendens fortuna forti que non sit cadens, retrograda aut combusta, et dominus ascendens sit fortis et in bono esse et directus et in sua exaltacione, et dominus 10 aspiciat dominum ascendens trino vel sextili aspectu cum receptione forti; et quod dominus ascendens sit in signis imperantibus et dominus 10 sit in signis obedientibus. Et quamdiu ille pro quo facta fuerit supradicta ymago penes habuerit eam, diligetur et honorabitur et quicquid querit a dominis quibus commiscetur habebit.

Ymago ut dominus diligatur a suis hominibus et semper obediant ei.

Facias duas ymages, quarum unam facias in hora Iovis, et Luna Solem aspiciente bono aspectu et separata ab infortuniis; et ponas Caput Draconis in ascendente. Deinde facias aliam ymaginem cuius ascendens sit quinta domus ab ascendente prime ymaginis, et hoc in hora Veneris; et Caput Draconis sit in ascendente vel aspiciat ipsum ascendens bono aspectu, et hoc in hora Lune; et Luna sit libera ab infortuniis. Et sub terra ymages sub ascendente aliquorum signorum fixorum in hora Saturni. Et cum hoc feceris, amabitur ab omnibus suis subditis, et ei obedient.

Ymago ut servus diligat dominum suum. Fiant due ymages, quarum una fiat in hora alicuius planetarum aliorum; et ascendens sit ex domibus

alicuius predictorum planetarum aliorum, et Luna crescens lumine, et Caput Draconis in ascendente, 4, 7, vel 10 domo. Et secundam ymaginem facias in hora alicuius planetarum inferiorum, cuius ascendens sit 10 domus ascendentis alterius ymaginis hic nunc nominate, et Cauda Draconis sit in ascendente, 4, 7, vel 10 domo. Et quando istas duas ymagines hoc modo feceris, eas insimul amplexatas adiunge, et subterra eas in loco illius qui amorem alterius querit.

Ymago ad habendum dignitatem a domino. Facias ymaginem, et fortunabis ascendens et 10 et dominum ascendentis similiter, et remove infortunas ab ascendente et eius domino, et ponas fortunam in 11 domo aspicientem ascendens et eius dominum bono et laudabili aspectu, et quod dominus decime domus cum domino ascendentis se ad invicem aspiciant bono aspectu cum receptione. Et cum ymaginem sic perfeceris, teneas eam tecum secrete ne ab aliquo videatur; et cum iveris coram domino et ab eo officium vel dignitatem quesieris, habebis.

Ymago ad augmentandum divicias et mercancias. Facias ymaginem, et fortunabis ascendens et 10 et eorum dominos dominumque domus domini ascendentis et dominum domus domini 10, Lunam et dominum domus eius, secundam quoque domum et eius dominum; et dominus 2 domus sit receptus a domino ascendentis trino vel sextili aspectu, et fortuna sit in 2 domo; et ponas partem fortune in ascendente vel 10, et dominus partis ipsius fortune ipsam aspiciat bono aspectu. Fortunabis quoque 11 et eius dominum. Et cum hanc ymaginem sic feceris, custodias eam tecum tenendo secrete ut a nullo videatur, et lucraberis in quantis facies et habebis bonum in omnibus momentis tuis.

Ymago ad augmentandum civitates ut ad bonum pergant. Facias ymaginem, et fortunabis ascendens et 10 et eius dominum, et fortune ipsum aspiciant, et fortunabis dominum domus 2 et dominum 8 domus, et dominus ascendentis sit fortunatus, et quod fortune aspiciant eum; et fortunabis dominum domus domini ascendentis et Lunam et dominum domus Lune. Hac vero ymagine sic completa ut dictum est, eam subterra in medio eius civitatis; et fiet quod queris.

Ymago ad acquirendum amorem alterius. Facias duas ymagines, quarum unam facias in hora Iovis et ascendente Virgine et Luna crescente lumine, ipsamque ponas in ascendente, 4, 7, vel 10 domo. Secundam vero ymaginem fac hora Veneris se aspicientis cum Iove; et infortune sint cadentes ab ascendente, et quod ascendens istius ymaginis sit 7 domus predictae, et dominus ascendentis ipsius aspiciat dominum ascendentis prefate trino vel sextili aspectu. Et quando ipsas hoc modo feceris, adiungas eas amplexatas ad invicem, et subterra eas in loco illius qui vult acquirere amorem et dilectionem.

Ymago ad destruendum inimicum. Fiat ymago in forma et similitudine illius quem vis male tractare in hora Martis, Luna existente in Scorpione; et quantumcumque poteris infortunabis ascendens ponendo infortunas in ascendente vel ipsum aspiciant malo aspectu, et quod infortune et dominus ascendentis se invicem aspiciant; et quod quantum poteris infortunabis dominum 4 domus et dominum ascendentis, et se ad invicem aspiciant; et infortunabis dominum ascendentis in domo 4, vel quod sit receptus ab infortuna in 4 domo vel in ascendente. Et cum hoc feceris, eam subterra capite inferius posito extra civitatem in qua ille tuus inimicus manet; et fiet quod

queris.

Ymago ad destruendum civitatem. Fiat ymago sub hora Saturni eo quod est infortuna sub ascendente illius civitatis, et infortune sint in eo et cum domino ascendentis et cum domino domus domini ascendentis similiter; et removeas fortunas ab ascendente et eius domino et a triplicitate ascendentis necnon a 4, 7, et 10 similiter. Et cum ymaginem sic feceris, subterra eam in medio civitatis; et videbis mirabilia.

Ymago ad impediendum edificia ut non fiant. Facias duas ymages, quarum unam facias in hora Solis et ascendente Leone et alteram hora Lune et ascendente Cancro; et quod Luna sit crescens lumine et sit salva ab infortuniis et velox cursu. Et cum ipsas feceris, subterra eas hora Veneris; et impediatur edificium.

Ymago ad fugandum detentum in carcere. Facias ymaginem in forma illius carcerati quem volueris extrahere in hora Lune, ipsa crescente lumine, veloci in cursu et separata ab infortuniis. Et subterra eam sub ascendente 10 domus illius civitatis ponendo faciem ymaginis versus domum illius carceratum detinentis.

Ymago ad destruendum inimicum. Facias duas ymages, quarum unam facias in hora Solis et ascendente Leone et Luna cadente ab ascendente, et alteram facias in hora Martis et ascendente Cancro et Marte cadente a Luna; et facias eas ad similitudinem unius percucientis alteram. Et subterra eas in hora Martis prima facie Arietis ascendente. Et cum hoc feceris, operari poteris tuis inimicis per quemcumque modum.

Ymago ad fugandum hominem quemcumque a suo loco. Facias ymaginem sub ascendente aliquorum signorum tortuose ascendencium; et eius dominus sit cadens ab ascendente, 4, 7, vel 10 domo, et Luna sit cadens similiter. Et subterra ymaginem in quadrevio vie combuste, et ponas faciem ymaginis versus locum a quo volueris separare ipsum; et videbis mirabilia.

Ymago ad separandum duos amicos ab invicem. Facias ymaginem sub ascendente quovis, et ponas infortunam fortem in ascendente et 10 domo, et infortunabis dominos ascendentis et 10 domus; et infortune aspiciant eos ex 4 vel opposito aspectu; et facias fortunas cadentes ab ascendente et 10 domo et ab eorum dominis. Aliam vero ymaginem facias in omnibus et per omnia prout superius dictum est. Et subterra eas in loco in quo moratur alter eorum sub ascendente signi fixi infortunati a Cauda Draconis vel altero infortunio. Et cum ista feceris, odient se et numquam ad invicem se diligant.

Ymago ad faciendum in iram regis cadere quem volueris. Facias duas ymages secundum doctrinam predictarum ymaginum; et quod dominus ascendentis sit cadens a domino 10 domus vel infortunatus ab eo, et quod aspiciat dominum domus 4 ex 4 vel opposito aspectu. Et subterra eas sub ascendente aliquorum signorum fixorum infortunato. Et cum hoc feceris, rex odiet illum.

Ymago ad capiendum multos pisces. Fac ymaginem in forma piscis existentis in illo flumine, et facias ascendente Pisce; et Iupiter in eo, et dominus hore sit Venus. Et facias eam in hunc modum: facias primo caput ipsius et corpus, et postea caudam, et iungas ea insimul hora predicta. Et fac unum stilum argenteum subtilem, et ponas ymaginem in capite stili; et facias unum urceum sive aliud vas habens os strictum de plumbo, in cuius medio ponas stilum erectum et ymaginem piscis in summitate stili. Deinde predictum vas

impleas aqua eiusque os claudas cum cera ne aqua vasis valeat exire. Postea proice vas in fundo fluminis. Omnes vero pisces qui fuerint ex illa parte congregabuntur ad eum.

Ymago ad capiendum pisces. Dixit Alhanemi in quodam libro istius artis quem ipse habebat et ipse expertus fuit; et invenit quod erat veritas. Et dixit sic: facias ymaginem in figura piscis, et funde eam secunda facie Piscis ascendente; et Luna una cum Mercurio sit in ascendente; et fiat hoc in hora Lune. Et cum hec ymago sic fuerit facta, proice eam in flumine cum piscari volueris; et videbis mirabilia quia multitudo piscium in illo loco congregabitur.

Ymago ad fugandum scorpiones. Facias ymaginem scorpionis ex auro purissimo in hora Solis, et Lunam ponas in ascendente, 4, 7, vel 10, ipsa in Tauro existente, Aquario, vel Leone, quorum melius est Leo quia eius natura magis contraria est scorpioni; et Sol sit in Leone, Saturno existente retrogrado. Et primum facias caudam, postea pedes, deinde manus, ultimo vero caput. Et multum aspicias in ista diversitate et intelligas eam bene, quia iuvabit te in omnibus operibus. Et quando ista membra sic feceris, ponas manum sinistram in loco manus dextre et pedem dextrum in loco pedis sinistri, ponasque caput ipsius in loco proprio erectum et caudam similiter. Post hec facias spinam, et ipsam ponas inversam supra suum spinacium et capita spinarum posita in propriis locis; et ipsa cum cauda percuciat semet ipsam. Et quando ymaginem feceris hoc modo, subterra eam in lapide perforato, et sit de minera. Postea subterra lapidem in nobiliori loco civitatis; et fugient ab illo loco, et non appropinquabunt loco ymaginis per 45 miliaria ex quacumque parte.

Ymago ad percussiones scorpionis sanandas. Facias ymaginem scorpionis in lapide de bezahar, et hoc in hora Lune, ipsa existente in 2 facie Scorpionis, ascendente Leone, Tauro, vel Aquario. Ipsamque petram ligabis in annulo aureo, et cum illo sigillabis incensum mollificatum in supradicta constellatione. Et dabis bibere percusso unum ex illis sigillis incensi; et sanabitur statim, et sedabitur dolor.

Et dixit quidam qui semper laboravit ad predicta probandum et istas sciencias, qui venit de terra Nigrorum, qui probavit scribere unum nomen in tabula latonis ipsamque tenebat cum eo. Et quando aliquis percuciebatur a scorpione, lavabat ipsam tabulam in aqua et ipsam dabat percusso in potu; et statim sanabatur, et sedabatur dolor. Dixit etiam ipse quod quando deficiebat ei tabula latonis, scribebat nomina in scutella limpida cum creta qua scribi poterat quemadmodum crocus et similia que possunt bibi. Et lavabat eam cum aqua et dabat in potu infirmo; et statim dolor cessabat.

Et nisi esset ex metu prolixitatis verborum, narrarem mirabilia que ipse fecit cum istis nominibus, quia homines quibus dedit ea in potu sunt in maxima quantitate, et non possem eos breviter narrare. Tamen quia vidi experienciam istorum nominum, ipsa nomina in isto libro nostro et in presenti capitulo narrare decrevi. Et sunt ista: zaare zaare raam zaare zaare fegem bohorim borayn nesfis albune fedraza affetihe taututa tanyz zabahat aylatricyn haurane rahannie ayn latumine queue acatyery nimieri quibari yehuyha nuym latrityn hamtaury vueryn catuhe cahuene cenhe beyne. Et predicta nomina debent scribi in septem lineis precise, nec plus nec minus, et signum Salomonis in capite septime linee. Et dicunt aliqui quod debent scribi prima die Iovis mensis Maii, et dicunt alii quod scribantur in prima die

Iovis cuiuscumque mensis volueris; et ego vidi scribi ea in quacumque die placuerit. Et caveas tibi ne erres in ipsis nominibus nec in formis nec in figuris eorum ut error non cadat in eis. Et nomina que sunt scripta bohorim vidi sapientem scribere nohorim, scilicet cum n, sed ego recollegi ea cum b ut superius dixi. Et hoc dico tibi ut secreta huius sciencie sint tibi manifesta. Ymago ut homines cum uxoribus diligentur. Facias ymaginem puelle de metallo frigido et sicco, et facias eam sub ascendente Virginis et Mercurio in ea existente et in circulo augis necnon et ipso existente almutaz in figura; et disponas hoc opus in hora Mercurii. Et sic facies quousque compleatur ymago. Postea facias aliam ymaginem in figura iuvenis, et facias ipsam Mercurio existente in Virgine redeundo ad locum prime ymaginis vel ipso existente in Geminis; et caveas a diversitate ascendentis – videlicet quod si Mercurius est in Virgine non ponas signum Geminorum in ascendente, vel Mercurius in Geminis non ponas Virginem in ascendente; sed quaecumque posueris in ascendente, Mercurium ponas in eo. Et quando duas ymagines hoc modo perfeceris, adiungas eas amplexatas, et ponas manus cuiuslibet earum in costis alterius; et omnia operentur in hora Mercurii tam in ascendente Virginis quam Geminorum. Et cinge ymagines cum cingulo illius metalli quo fudisti eas, et subterra eas in vico civitatis magis populato. Et quando hoc feceris, adiungentur homines mulieribus et habebunt bonum amorem ad invicem. Similiter facias quando aliquis querit diligere aliquam ut ab ea diligatur, subterrando eas in loco quo volueris coniungi.

Ymago ad destruendum civitates, domum et alia. Facias ymaginem sub ascendente illius civitatis, si sciveris, vel sub ascendente illius interrogacionis; ipsumque ascendens et 4 necnon et dominum ascendentis et Lunam et dominum domus Lune et dominum domus domini ascendentis, decimamque et eius dominum infortunabis. Cum autem supradictam ymaginem feceris, eam in medio civitatis subterra; et fiet quod queris.

Ymago ad faciendum ut phisicus lucretur. Facias in lamina stannea ymaginem hominis sedentis in cathedra, habentis opera phisice; faciasque aliam ymaginem hominis stantis in pedibus, ante ipsum habentis urinale in suis manibus in actu et consilium petentis ab eo. Ipsasque ambas ymagines facias sub ascendente Tauri vel Libre, Marte in ascendente et Capite Draconis in medio celi. Et quando hec feceris, fac ipsam laminam ymaginem habentem iacere in loco quo volueris homines venire; et videbis mirabiliter trahere homines ad illum locum.

Ymago ad multiplicandum messes et plantas. Facias in lamina argentea ymaginem hominis sedentis, in circuitu eius messes, arbores et plantas; et hanc facias ascendente Tauro, et Luna in hoc a Sole eunte versus Saturnum. Ipsamque subterra quo libuerit loco; et omnia seminata et plantata ibidem crescent bene et velociter absque damnacione aliqua tam bestiarum quam avium, tempestatis vel alterius cuiuscumque maneriei nocumenti messium.

Ymago ad sanandum infirmitates lapidis. Facias ymaginem leonis in lamina auri purissimi tenentis in ipsius manibus lapidem ac si tripudiaret cum eo; ipsamque facies in hora Solis primo gradu secunde faciei Leonis ascendente. Et qui languens hanc tabulam secum detulerit statim liberabitur. Et hoc sepissime probatum est.

Ymago ad eiciendum infirmitates melancolicas et facinora, si volueris removere infirmitates mechanicas cuiuscumque queris, sanitatem firmare quousque sit bene roborata, et ad retrahendum ne maleficia maleficient cui

volueris. Facias ymaginem in argento purissimo in hora Veneris, Luna existente in ascendente, 4, 7, vel 10 domo et aspiciente Venerem bono aspectu; et dominus sexte domus aspiciat fortunam trino vel opposito aspectu, et dominus octave in 4 aspectu Mercurii. Et cave ne ipse Mercurius sit retrogradus, combustus nec ab infortuna aspectus. Ipsamque ymaginem facies in ultima hora dominice diei; et dominus hore sit in 10 ab ascendente. Et cum ipsam feceris hoc modo, dictas infirmitates retrahet.

Scias quod virtutes ymaginum et earum potencie ipsarumque effectus quos habent in se ipsis non sunt nisi ex corporibus celestibus, et quando ipse ymagines fiunt secundum motus celestes non invenies quicquam impediens vel destruens eas. Et ea que necessaria sunt ad observandum in fundendo ymagines est quod facias eas ad amorem et amicitiam Luna existente cum fortunis completa lumine; et advertas ne facias aliquid in predictis Luna cum infortunis existente et lumine diminuta. Exemplum ad idem. Facias ymaginem ad amorem et dilectionem et ad visitationem regum et dominorum sublimiorum in die Lune, completa lumine ipsa existente in Sagittario, Tauro, Cancro, vel Pisce (et si fuerit in Capite Draconis erit forcior in opere), et ipsa semper existente in mansione fortunata et operi appropriata, et quod ipsa Luna sit iuncta Veneri in hora Iovis, ipso Iove existente in Pisce, Sagittario, vel Cancro et Luna cum eo. Et e converso facias ymaginem ad mala, scilicet Luna existente in mansione infortunata et cum planetis infortunatis vel aspiciente eos ex 4 aspectu vel opposito. Et quando sic feceris, adimplebitur opus tuum in omnibus que volueris. Et nota quod opera ymaginum nocturna sunt meliora diurnis in omnibus supradictis.

Et illud quod est necessarium in dictis operibus et sine quo aliquid complere non possumus est adiungere totam voluntatem et credulitatem operi taliter quod virtus spiritus cum virtute celi iungatur; et tunc omnia complebuntur cum effectu. Plato dixit in Libro amphorismorum: quando enim loquentis verbum cum intencione et credencia concordat, qui audit movetur; et e converso si contrarium feceris. Et hec radix est iungendi voluntatem cum credencia in oracionibus, et hoc est primum in petendo ea que petere volumus a domino quando orare debemus.

Et iterum necessario oportet ut istorum operum operacio lateat hominibus et lumini Solis nec operetur in loco in quo ingrediatur Sol, et quod aliquis nullam noticiam habeat de suis operibus nisi esset fidelis in sui amicitia et credens in opere, nec sit derisor nec incredulus in operibus et potenciis spirituum celi et suarum potenciarum que sunt potentes in hoc mundo, et quod opera fiunt ex eis spiritibus. Et ad verificandum quod dixit Thebit ben Corat Ein libro quem composuit De ymaginibus, qui sic ait: sciencia ymaginum est nobilior pars astronomie. Et subdit: corpus caret vita deficiente spiritu. Et hoc dixit propter ymagines que non fiunt temporibus congruis et opportunis, que non erant apte ad recipiendum spiritus planetarum, et tunc erunt similes corporibus mortuis in quibus non est spiritus. Et quando fiunt congruis temporibus debitis et opportunis, recipiunt spiritus et infusiones virium planetarum et erunt similes corporibus viventibus ex quibus postea sequunter mirabiles effectus.

Aristoteles dixit in suis libris ymaginum: melius et alcius quod habeant ymagines ex 7 planetis provenit, et durabilius est quando aspiciat fortuna. Vult enim dicere protrahendo spiritus et virtutes celi in terra. Et iterum dixit quod sunt nomina spirituum que, quando quis ea invocat et ipsos trahere voluerit

spiritus, quod descendant, et eorum virtutes in sua hora interficiant illum nisi fuerit bene instructus et sapiens in natura illius spiritus et planete illi operi congruentis ad trahendum ipsum, et quod recipiat eum ad corpus.

Et per hunc modum est illud quod referunt illi qui operantur nomine maiori, qui dicunt se mutare virtute eorum res a naturis propriis, et faciunt mirabilia in mundo; et maior pars illorum qui operati sunt nomine predicto in hoc sunt discordati. Et ego feci unum librum istius nominis et quomodo ipsum intelligere debeamus, et exposui hoc in exposicionibus cuiuslibet eorum.

Et volo redire ad dictum Aristotelis dicentis se locutum fuisse in dictis nigromancie quamvis non est aliquid circum celi excedens nec simile posse habeat ad trahendum spiritus, sed verba non habent tale posse nisi hoc esset ex precepto Dei gloriosi et alti, qui movet ipsos suo precepto ad terram divertendo mittensque ipsos ad centrum terre. Et hoc ait Aristoteles.

Et omnes sapientes qui in hac sciencia locuti sunt concordant quod verba cum oracionibus in operibus ymaginum iuvant ad complendum res et operationes. Thoos sapiens ait: verba in ymaginibus sunt quemadmodum spiritus in corpore moventes spiritus et potencias versus illud opus; quanto magis verbum illius qui operatur iungitur voluntati et certitudini ipsius operantis quia tunc ex isto elemento nobili fit id cum quo complentur ymagines et verba que diximus. Et ea que hic intendere dicimus sunt que loquuntur verbis convenientibus illis operibus que in nostris considerantur voluminibus.

Exemplum quod si operaberis in ymagine amoris et unitatis hoc modo loquaris: iungatur talis N. cum tali N. quemadmodum iunguntur ignis et aer et aqua et terra; et moveatur spiritus talis versus talem quemadmodum radius solaris movet lucem mundi et suas virtutes; et componat talem et sua opera in visione talis quemadmodum celum est cum suis stellis compositum et arbores cum suis floribus. Et ponas spiritum talis altum et sublimem super spiritum talis ut aquam super terram; et quod dictus talis non habeat posse comedendi, bibendi, tripudiandi nec letandi absque tali.

Et si feceris opus tuum ad separandum unum ab alio vel ad ponendum inimiciam inter eos, dicas sic: dividas et abscindas inter talem et talem per virtutes istorum spirituum et planetarum quemadmodum lux dividitur a tenebris; et postea: intret inter eos inimicicia et mala voluntas ut ignis et aqua ad invicem inimicantur.

Et si feceris ad iungendum aliquem cum aliqua muliere aut cum pluribus aliis, dicas sic: liget te spiritus voluntatis talis vel talis mulieris (si pro una muliere feceris) vel omnibus aliis (si pro omnibus feceris), et capiat hoc opus per vim et potencias spirituum et planetarum quemadmodum cumulacio et ligamenta moncium eorumque lapidum.

Et si hoc feceris ad aliquem ligatum dissolvendum, sic dicas: disligetur et dissolvatur et destruat ligamentum spiritus voluntatis talis qui est ligatus et constrictus talis vel talium mulierum in virtute spirituum et planetarum quemadmodum cera liquatur igne et ut Sol destruit tenebras et suos spiritus et sicut consumitur nix calore Solis.

Et si volueris prohibere ne homines mala loquantur de te vel alio quocumque volueris, dicas sic: cooperias talem cooperimento luminis lucentis, et amputes linguas hominum a se, et cooperias eorum oculos cooperimento spirituum trahencium a se malas incantaciones. Et amputentur

eorum lingue et male voluntates.

Preterea si hoc feceris ut de aliquo male dicatur et odiatur ab hominibus, dicas sic: corrumpatur et destruatur talis per virtutem et potenciam istorum spirituum et planetarum quemadmodum solaris radius destruit et corrumpit nubium spissitudinem et densitatem, et ponat spiritus suos malignis hominum linguis affixos ut ipsum corrumpant quemadmodum sagitte a balistis proiecte corrumpunt corpora.

Et advertas quod dum aliquid operaberis ex predictis non erres in aliquo predictorum inconvenientibus ipsis operibus quibus operaberis; imo loqueris in rebus augmentibus opera tua et quibus adimpleantur.

Et custodias predicta bene et diligenter quia magnum proficuum et utilitatem in operibus ymaginum eris consecutus; ex eis procedendo et advertendo istis tramitibus poteris omnes componere ymagine mundi. Ea vero ex quibus ymagine construuntur debent esse similia et proporcionata nature eiusdem cuius componitur ymago sive ad bonum sive ad malum. Et ego dicere intendo post ista illud quod habet quilibet planetarum ex metallis, animalibus, arboribus, tincturis, suffumigacionibus atque sacrificiis cuiuslibet eorum. Et iuvabis te de quolibet eorum in omnibus operibus tuis quemadmodum phisicus multis medicinis et speciebus operatur et obediencia infirmi in dietis observandis et medicinis capiendis; per hunc modum phisicus attingit intentum. Nam tota radix istarum operacionum est ut aspicias directiones planetarum et constellacionum. Antiqui vero sapientes Grecorum solebant aspicere planetam attendentes quousque esset in suo geuzahar proprio. Et ponebant ipsum in gradu medii celi, ipsumque suffumigabant suffumigacionibus illi planete competentibus, et sacrificia faciebant cum suis oracionibus ipsi congruentibus, et petebant quod volebant ipsumque obtinebant. Similiter dicebant se operaturos cum planeta quando erat in auge; similiter faciebant quod volebant. Et est notandum quod predicta opera erunt magis firma si ille planeta habuerit potenciam in nativitate illius hominis pro quo operatur. Totum istud debes intelligere quia propter hoc poteris quod volueris obtinere.

Capitulum sextum. In quo gradu quilibet est in mundo et qualiter scitur quod homo est minor mundus et maiori mundo assimilatur.

Scias quod sciencia est quid valde nobile et altum; et qui studet in ea et per eam operatur suam recipit nobilitatem et altitudinem. Et sciencia est quemadmodum sunt gradus quia scito uno scibili statim aliud apparet. Et ille est perfectus qui sciencie gradum attingit ultimum et ipsos gradus sciencie diligit et amat. Et tales appellantur philosophi Grece, Latine vero interpretantur sciencie amatores. Et qui in scienciis non laborat est defectuosus et debilis auctoritatis, et per consequens homo appellari non debet nisi nomine, forma et figura hominis. Postquam vero contingat sciencias inspicere ex quibus cognoscat quid sit ipsemet homo, et quod ipse est minor mundus similis mundo maiori et est corpus cum spiritu racionabili completum, animatum et racionale, et est quid separatum cum istis tribus spiritibus ab omnibus rebus mundi et animalibus omnibus in quantum est racionale. Et racionalis idem sonat quod cognitor quia possunt apprehendere contingencia, et determinare que non sunt vera, et intendere ea que sunt in mundo et quolibet loco (scilicet mundi) apprehendetur sua sciencia et suo

sensu, et retinere sua vi et potencia ea que audit. Et per ista videt in suo sensu quid potest accidere in die et in homine vel in minori mundo quod idem est simile maiori cui assimilatur in sua forma et in rebus inventis in ipso. Et similis est animalibus in omnibus rebus naturalibus, et est separatus ab animalibus in suis magisteriis et scienciis. Habet sex motus; habet ossa dura, omnia naturaliter in linea recta ordinata, que moventur a parte latitudinis; habet digitos et palmas linea recta compositas; et habet caput rotundum et estimacionem. Et recipit sciencias et scripturas, et invenit magisteria, et remittit omnia animalia; et ipse non remittitur ab aliquo. Ridet et plorat, et sonum tristicie in ploratu facit. Et est in eo virtus Dei et sciencia iusticie pro civitatibus gubernandis. Et est ymago habens intra se lumen eo quod eius corpus est ymago. Et est potens in spiritu et equalis in sui figura. Et ea que iuvant et nocent cognoscit. Operatur industria et arte, et similiter ab aliis industria et arte retrahitur. Et invenit magisteria subtilia et eorum subtilitates, et facit miracula et ymagine mirabiles, et scienciarum formas retinet. Et est separatus ab omnibus aliis animalibus sensibilibus. Fecitque ipsum Deus compositorem et inventorem suarum sapienciarum et scienciarum et explanatorem suarum qualitatum et omnium rerum mundi receptorem spiritu prophetico sue sapiencieque thesaurum, intellectorem omnium rerum et coniunctionum in maiori mundo existencium. Et eciam ipse homo comprehendit omnes intelligencias et compositiones rerum huius mundi suo sensu, et ipse non comprehendunt eum; et omnia serviunt ei, et ipse nulli eorum servit. Et sua voce assimilatur unicuique animali quando ei placet, et facit similes formas eis suis propriis manibus, suoque verbo numerat et narrat et explanat eorum naturas et opera. Et non est aliud animal quod habeat potencias intelligendi eum nec possit transformare voces suas nec ipsas assimilare ullis aliis vocibus quemadmodum gallus, canis et leo eorum voces transformare non possunt; et ipse homo sua naturali voce habet potenciam faciendi omnes alios sonos omnium animalium, et mutare formas eorum et similitudines quemadmodum voluerit. Et dirigit semetipsum in bonis moribus, et animalia alia in illis dirigit et eis ea ostendit. Et habet corpus densum et spiritum subtilem, propter quod habet unam partem subtilem et aliam grossam. Pars vero subtilis est vite, grossa mortis; nam medium ipsius est mobile et aliud medium fixum, et medium est figuratum et aliud non est figuratum, et medium ipsius est nox et aliud est dies, unum lux et aliud tenebra, unum palam et aliud absconsum, unum sentit et aliud non intendit nisi sensu, et unum deprimens et aliud depressum. Et ipse in malis verecundatur operibus, et facit ea que vult electione, et penitet se aliquorum operum. Et est compositus ex materia spissa et subtili; habet in se ex grossicie terre, subtilitate aeris, caliditate ignis et frigiditate aque, ex quibus efficitur equalis in motibus virtutis vitalis. Et cognoscitur caliditas ignis que est in eo ex caliditate que est in eo, et frigiditas aque ex frigiditate patente in ipso; et huiusmodi alia elementa cognoscuntur in eo ex qua quidem compositione. Forma ipsius capitis celi forme, figure et rotunditati assimilatur. Et hominis forme omnia subtilia generaliter adiunguntur. Et generalis forma hominis est archa forme spiritus in generali, et spiritus generalis est archa sensus generalis, et sensus generalis est archa luminis unde sensus procedit. Et nunc lumen est materia sensus generalis que est alcior omnibus inferioribus, et materia semper est magis infima eo et est simplex erga eum. Et sic est homo completus ex forma composita hominis quia

servitur ab omnibus aliis corporibus et ipse coniunctus est cum alia natura. Et qui hoc scire desiderat complete debet esse simplex, declinans ad bonitatem, nitidus et liber ab omnibus sordiciebus corporis et ab omnibus cogitationibus quia homo sic dispositus potest suo sensu intendere et videre et istius rei certificari.

Iam autem locuti sumus in predictis quod deviavimus ab intencionibus huius libri quia ista et isti sensus sunt radices rerum in quibus liber iste fundatur, qui est ex sciencia magice; quia si laboraveris semper in scienciis et intellectibus rerum et sensibus earum quemadmodum sunt, tunc quicquid sit nigromancia et magica intendere poteris et scire. Et secundum hoc loquitur Plato in libro quem ipse edidit qui vocatur Timeus, qui multum prolongavit verba et rationes in formis. Et hanc rationem exposuit multum bene eo quod locutus est in occulto quemadmodum consuetudo sapientum est cooperire et celare sciencias suas taliter ut insipientes ad eas non valeant pervenire. Et similiter quidam alius sapiens nomine Zadealis idem fecit in libro suo, qui locutus fuit in eo cooperte et profunde.

Et celamentum et profunditas verborum est subtilitas sapientum in suis rationibus ut ea intendi non possint absque consideratione magna. Et in eis quiescere quousque intellectus coopertus extrahatur ab eis; et tunc extrahitur ab aliis intencionibus que intelliguntur ex primo intellectu et visione. Et hec sciencia dividitur in duas partes quarum una est manifesta, altera vero absconsa. Pars vero absconsa est profunda; et sunt sensus profundi qui non possunt intendi absque aliis antecedentibus cum industria quousque hec ratio pateat et discooperiatur. Si aliquis autem in ipsa perscrutatus fuerit ut dictum est supra, habebit id quod desiderat, et ei aperietur occultum, et ad id attinget quod voluerit. Semite autem et vie ad ista obtinenda sunt multe; et alique ex eis sunt ad revertendum probationem manifestam ad absconsam vel redire ramos ad radicem ut simul copulentur vel suos sensus componere et cogitationes cum dictis credibilibus sanctorum hominum vel hominis sancti. Et isto modo habebis complementum et perfectionem, et attinges ad ea que volueris, et discooperietur tibi sensus celatus et manifestus in illis verbis. Et accipies quam libuerit viarum supradictarum ut ea ad sciencias attingere valeas et pervenire et discooperire abscondita – una predictarum viarum quia per hoc poteris quod volueris obtinere et intelligere sciencias et suos intellectus et intelligere omnia et omnes sensus suis ordinibus.

Capitulum septimum. In quo gradu quelibet res mundi est et de aliis multis profundis per sapientes occultatis que in hoc nostro libro discooperire intendimus.

Et omnia huius mundi sunt suis ordinibus ordinata quemadmodum subiungitur. Primum omnium rerum huius mundi nobilius, alcius et magis completum rerum inventarum in mundo est ipse Deus qui est factor et creator omnium. Postea sequitur in ordine sensus seu intellectus, post sensum spiritus, post spiritum materia; et ista sunt immobilia, inalterabilia et immutabilia de loco ad locum. Postea est celum nature, quod primum mobile motuum nuncupatur et quod est primum generacionis et corrupcionis que accidunt in mundo. Deinde est celum stellarum fixarum, ex quo inventi sunt alii celi secundum suos ordines usque ad celum Lune. Post quod inventa est materia communis – scilicet prima – in qua est ordo omnium mundi rerum

que sunt in ista materia sed non apparent. Post istam vero materiam sunt elementa que in ista communi materia operantur, quia elementa non habent operationes nec opera in materia. Et subsequenter in ordine post ista elementa sequuntur minere, post quas sunt plante, deinde animalia subsequuntur, et ultimo animal rationale. Et huius ordinis invencio est diversa ab aliis ordinibus quia alii ordines compensantur ex intellectu, qui est nobilior et alciior omnibus rebus, et sic descendendo procedunt ad viliora quousque Lune celum attingant, et post ipsum a viliori usque ad nobilior procedendo quousque ad hominem attingant, qui est nobilior omnibus rebus sub celo Lune existentibus. In eo enim complentur sciencia, sapiencia et querencie manifeste. Quapropter scire debes quod illum qui in scienciis laborare intendit oportet ut istos tramites consequatur. Et qui in hoc laborabit secum habebit fortunam maiorem, et evadet ab eo quod dicitur a sapiente: Nil deterius in hominibus quam scientes velle sophisticare et scienciam non habere. Quia per hoc non attingunt scienciam sed in ea fideliter laborantes, quia sciencia vera privatus non est homo nisi equivoce.

Et scias quod inventa in mundo habent alios ordines et alias divisiones quas hic dicere intendo ad acuendum intellectum ut magis exercitetur in scienciis; et postea advertas in eis, et intelliges secreta sapientum. Cuius ordo talis est: primo est principium, postea est materia alta, postea elementum, deinde materia, postea forma, deinde natura, postea corpus, deinde augmentum, postea animal, deinde homo, postea masculus, deinde individua hominum nominata. Sed primum principium est communi[u]s materia alta quia dicitur super materiam et accidens, et materia non dicitur nisi ut materia in corpore. Et materia est communior elementis quia materia est sine complexione, et elementum non potest esse sine complexione. Et elementum est communius aliis materiis quia elementum est corpus simplex et recipit qualitates, et materia est coadunacio elementorum ordinata ad recipiendum formam. Et materia est communior forma quia est simplex ante recepcionem forme, et quando recipit formam est materia et forma. Exemplum in hoc: quemadmodum es quod est materia [forme] vasis et lignum est materia forme scamni. Et quando recipiunt motum et aptacionem, est virtus mixta, et cum hoc fit natura. Quando nature simul iunguntur et recipiunt colorem, augmentum et diminucionem, tunc fit corpus, Et corpus dividitur in augmentum et diminucionem; et augmentum dividitur in animal et non animal; et animal dividitur in hominem et non hominem; et homo dividitur in masculum et feminam; et masculus in talem et talem singulariter cognitum. Et materia est coadunacio elementorum ordinata ad recipiendum formam. Et materia dividitur in duas partes, quarum una est materia simplex que non recipit nisi formam elementi compositam ut terre, aeris, aque et ignis, et de una ad aliam materiam transmutatur; alia est materia generalis disposita ad recipiendum omnes formas compositas ex qualitatibus simplicibus quemadmodum est caliditas, frigiditas, siccitas et humiditas, et non transmutatur de una materia in aliam. Et nominavit sapiens eam sic quod est disposita ad recipiendum omnes formas diversas, et eciam alio nomine appellatur ex parte nature quod est corpus quo dirigitur et impletur omnibus istis.

Et quantum diximus in istis racionibus non diximus nisi ad acuendum intellectum et sensum illustrandum quia predicta verba et dicte raciones sunt ymagines spirituales et verba que recipit Adam a Domino Deo. Et non

possunt intelligi nisi a sapientibus qui in scienciis fideliter laboraverunt et intellexerunt quemadmodum sunt encia veritatem attingendo. Omnia autem ista intelligas et reponas in intellectu quia ea que in hoc libro sumus hactenus locuti sunt radices magice artis, si bene intelligis eas.

Explicit liber primus.

BOOK II

Incipit liber secundus in quo loquitur in generali de figuris celi et motu octave spere et de ipsarum effectibus in hoc mundo. Incipiunt capitula libri secundi.

Capitulum primum. Primo ostenditur quomodo potest attingi ad istam scienciam.

Capitulum secundum. De figuris celi et earum secretis.

Capitulum tertium. De omnibus operibus planetarum, Solis et Lune.

Capitulum quartum. De motu octave spere et stellarum fixarum.

Capitulum quintum. De divisione huius sciencie inter gentes et quam partem quelibet earum gencium habeat.

Capitulum sextum. De virtutibus ymaginum, et cuius maneriei possunt haberi, et quomodo ymagine possunt recipere vim planetarum, et quomodo opera fiunt per ymagine; et hec est radix scienciarum nigromancie et ymaginum.

Capitulum septimum. De modo serviendi dialectice in istis scienciis ymaginum, et quam partem ipsius oporteat in ista sciencia.

Capitulum octavum. De ordinationibus rerum naturalium, et quomodo possunt ingredi in hanc scienciam.

Capitulum nonum. De demonstracionibus figurarum et formis ymaginum que fiunt auxilio planetarum.

Capitulum decimum. De lapidibus appropriatis cuilibet planete et formacionibus figurarum.

Capitulum undecimum. De figuris facierum et signorum et suis effectibus.

Capitulum duodecimum. De figuris et gradibus signorum et suis effectibus secundum opinionem Indorum, et quomodo proceditur cogitacionibus istius sciencie, et cuius maneriei trahuntur virtutes corporum superiorum secundum opinionem eorundem cum notabilibus secretis.

Capitulum primum. In quo ostenditur quomodo potest attingi ad istam scienciam.

Sapientes qui naturali sensu sunt dotati numquam cessant nec deserunt petere et inquirere ut sapientum secreta sciant et intelligant, que incluserunt in suis libris et scripserunt verbis occultis, et qui predicta invenerunt sollicitis inquisitionibus quousque attigerunt que voluerunt; sed homines imbecilles et intellectu carentes ad predicta attingere nequeunt vel venire. Sed motus mee voluntatis processit ad inquisitiones magice et pravitatum tempore quo iuventute florebam. Et studebam in Centiloquio Ptolomei, in quo dicitur quod omnia huius mundi celestibus obediunt formis. Et manifestum est quod omnes sapientes in hoc sunt concordati, quod planete habent influencias et vires in hoc mundo quibus omnia fiunt in eo et alterantur motu planetarum in signis; qua de causa cognoverunt quod radices magice sunt motus planetarum. Et volo hic exemplum ponere quod intellexi a quodam sapiente qui in his scienciis laboravit, qui <dum> morabatur in Egipto in domo regis, in qua erat quidam iuvenis qui ex Indie partibus fuerat profectus qui multum etiam studuerat in predictis.

Qui mihi dixit quod, dum ipse et iuvenis ille ad invicem loquerentur, audierunt vocem hominis lamentantis ex percussione scorpionis venenosa ac si moreretur. Quo ab ipso iuvene audito, extraxit de bursa pannum in quo involuta erant sigilla quamplurima que odore assimilabantur incenso. Et iussit unum ex eis dari eidem in potu, et statim sanaretur, ut dixit. Et ego cupiens addiscere et probandi causa surrexi accepique sigillum ex suis manibus ipsumque in potu dedi ut iusserat; et statim sedate fuere voces et dolores, et salvus factus est. Et ego iam aspexeram sigillum; eratque in eo figura scorpionis. Ipsumque quesivi cum quo sigillaverat eum, ostenditque mihi annulum aureum lapidem habentem de bezahar figuram habentem scorpionis. Perscrutavique ab eo que erat illa figura et quibus secretis influenciis predicta fiebant. Respondit ipsam figuram esse factam Luna in 2 facie Scorpionis existente; et hoc erat secretum et vis illius annuli. Et sic retulit mihi sapiens ille. Ego autem feci ymaginem illius figure in hora predicta cum qua sigillavi tam incensum quam quecumque alia sigillanda, et cum illis faciebam mirabilia quibus mirabantur omnes.

Quapropter scire debes et intelligere quod nullus potest scire vel intelligere virtutes et opera celi in isto inferiori mundo nisi fuerit instructus in quadrivio naturali et mathematica; et qui predicta ignoraverit erit incompletus in motibus celi nec poterit intelligere eos nec attingere ad hoc quod voluerit quia compositiones et radices eiusdem sunt de predictis extracte. Et qui ignoraverit arismetricam et geometriam non poterit calculare motus corporum celestium nec suis tramitibus poterit remeare nec intendere ipsos motus cum eorum intellectus sit in arismetricis et geometricis constitutus. Et similiter oportet habere musicam ad intelligendum proporciones et numeros rerum, et cuius maneriei res celestes in amore et odio cum terrestribus actibus concordentur et quomodo opera corporum celestium magis apparent in una rerum terrestrium quam in alia. Ille vero qui istas proporciones non intendit privatur intelligencia operum cuius maneriei sunt hec nec estimare potest similitudines eorum ad invicem. Item ille qui ciencias naturales ignorat non potest scire generaciones et corrupciones nec earum causas quia, si hec nesciverit, non poterit intelligere nec scire opera corporum celestium nec eorum potencias in terrenis corporibus. Et similiter qui metaphisicam ignoraverit non poterit scire vel intelligere in quibus terrenis locis infunduntur virtutes celestium et in quibus non. Quapropter necessario concluditur quod non poterit intelligere vel scire scienciam istam perfecte nisi qui sciverit suos ordines et radices, quod scire non poterit nisi philosophus eo quod omnia extracta sunt de partibus philosophie quemadmodum diximus. Idcirco ad istam scienciam nemo pervenire poterit complete nisi philosophus perfectus.

Capitulum secundum. De figuris celi et earum secretis.

Notum est quod loqui in formis celi est multum difficile et grave propter quod omnes sapientes recluserunt et latitaverunt opus in quantum potuerunt. Sed dicam tibi causam ipsius celamenti. Tamen qui multum querit et desiderat in predicta sciencia studere et ad cognicionem omnium formarum et figurarum desiderat pervenire studeat in Libro magno figurarum quem composuit Rozuz sapiens, qui in illo libro locutus fuit omnium figurarum et formarum bene et complete. Ascensiones figurarum celi sunt duobus modis, quorum unus est 48 formarum ex stellis figuratarum. Et hoc est quod videmus mutari propter accessum et recessum stellarum fixarum quemadmodum mutantur signa et alie figure celi ut figura Canis, Urse, Galline, et similia. Omnes vero iste figure mutantur de signo ad signum et de loco ad locum, et non secundum naturam celi. Et multo magis forme signorum zodiaci mutantur aliis quia in annis mille de facie ad faciem mutantur, sed in illis que sunt circa polos non discernitur in ipsis mille annis sensibilis motus in eis eo quod earum motus in parvis circulis commoventur; qua de causa in multis mille annis motus sensibilis non discernitur in eis. Et iste sunt maneries figurarum. Secundus motus est figurarum celi estimatarum secundum opinionem Indorum, qui in eis taliter sunt locuti: quod ascendit in prima facie Arietis homo habens oculos rubeos magnamque barbam et pannum lineum album convolutum, faciens gestus magnos in incessu sicut coopertus magna clamide alba ac fune precinctus, stans in uno pede ac si aspiceret quod tenet ante se. Et ascendit in 2 facie Arietis mulier clamide cooperta linea, rubeis vestibibus induta, unum tantum habens pedem; et in sui figura est similis equo, habens in

animo iram, et querit vestimenta, ornamenta ac filium. Et ascendit in 3 facie Arietis homo colore albo et rubeo, capillos rubeos habens, iratus et inquietus, habens in dextra ensem et in sinistra perticam, vestibis rubeis indutus; et est doctus et perfectus magister laborandi ferrum, et cupiens facere bonum, et non potest. Et isto modo procedunt usque ad ultimam faciem signorum. Postea scire debes quod non estimaverunt istas figuras nisi ex naturis stellarum et signorum. Et isto modo poteris intelligere ex illo quod dictum est in hac facie 2. Et ex isto modo sunt omnia dicta sua. Et iam locutus sum hactenus que poteris intelligere sensu et ymaginacionibus tuis; et poteris omnia quecumque volueris facere.

Et secundum hoc locutus fuit Abenoaxie in libro suo quem transtulit ex lingua Naptionum, quem nominavit Timachanin, qui locutus fuit in triplicitatibus signorum. Et ex eis nominavit triplicitatem aque, et dixit in ea id quod dixit ex figuris septentrionalibus. Et dicit sic: quando quis nominare voluerit aquam, fluvium, puteum vel aliam quamcumque rem istis similem, debes intelligere quod opus suum est in aqua. Et per istum modum in omnibus aliis figuris triplicitatum ubi querit nominare ignem, terram, vel aerem, debes intelligere per supradictum modum. Et ista via incessit Tyntym et omnes alii sapientes qui fuerunt locuti in figuris et gradibus celi. Et hoc est quod dixerunt in nominibus graduum, et etiam hoc quod dixerunt in exemplis suarum formarum in locis suis, quia omnia ista sunt signa quibus apprehendere poteris vires et opera graduum. Ideo ea sic intelligere debes. Exemplum ad predicta: quidam vero caput curtum et manus curtas nomine sic dicit cum locutus fuerit de morte et languoribus et semitis unius planete cum aliis, cum omnia ista sunt semite ad intelligendum planetarum effectus et qualiter alia corpora roborantur ab eis usque quo mirabilia et eorum effectus in ipsis appareant. Et isto modo totam magice artem intelligere debes.

Et scias quod effectus planetarum sunt multi et diversi, et eorum effectus in quolibet gradu celi mutantur, scilicet cum unus solus planeta in uno solo gradu fuerit aut quando cum alio planeta coniungatur. Quod si istorum effectuum summam scire volueris, scilicet cuiuslibet planete in quolibet gradu celi, multiplices sepcies 360, et erit eorum summa 2520; et harum figurarum quelibet per se diversos habet effectus. Si vero multiplicaveris sex vicibus 360, erunt figure ex coniunctione quorumlibet duorum planetarum in uno gradu 2160; et he figure potencias habent et mirabiles effectus in hoc mundo. Et si multiplicaveris quinquies 360, erunt figure ex coniunctione trium planetarum in uno gradu 1800; et he figure similiter vigorem et effectus habent mirabiles in hoc mundo. Si autem quater 360 multiplicaveris, erunt eorum figure ex quorumlibet 4 planetarum coniunctione in uno gradu 1440; et similiter he figure habent vigorem et effectus mirabiles in hoc mundo. Si vero ter multiplicaveris 360, erunt figure ex coniunctione quorumlibet 5 planetarum in uno gradu 1080; et he figure similiter habent mirabiles effectus in hoc mundo. Et si multiplicaveris bis 360, erunt figure ex coniunctione quorumlibet sex planetarum in uno gradu 720; et he figure ut supra habent mirabiles effectus in hoc mundo. Et si multiplicaveris semel 360, tunc erunt figure ex coniunctione omnium 7 planetarum in uno gradu 360; et he figure similiter habent potencias et mirabiles effectus in hoc mundo. Et hic est modus quem primus sapiens accepit quando in figuris celi locutus est et earum iudiciis que iste figure significant, et etiam in motibus 7 planetarum et graduum

signorum. Summa vero coadunata istarum figurarum sunt 10080 que habent potencias et effectus mirabiles.

Post hoc autem ipse primus sapiens dixit quod quando istas figuras facere volueris, facias sic. Cum vero unum ex 7 planetis in uno gradu posueris et alium in secundo gradu, et illud divides super 7 planetas, et postea posueris eos inter quoslibet duos gradus; et isto modo facies in omnibus gradibus celi qui sunt 360. Sed hoc opus longius est primo quod diximus, tamen veracius existit; et per istum modum poteris intelligere vigores et effectus dictarum figurarum in hoc mundo. Et cum hoc feceris, redeas ad coniunctiones 7 planetarum se movencium in gradibus cum stellis fixis, et e converso ad applicacionem stellarum fixarum et separacionem movencium per se et separacionem stellarum fixarum per se. Postea vero memorie commendes omnia ista et ea bene intelligas causa inveniendi figuras. Et caveas ne alicui discooperias istarum figurarum proprietatem nisi qui fuerit ad ea dispositus.

Capitulum tertium. De omnibus operibus planetarum, Solis et Lune.

Quidam vero sapientes de supradictis loquentes dixerunt quod effectus celi et eius potencie in hoc mundo non sunt nisi per augmentum et diminucionem caloris; et hoc dixerunt quia non intellexerunt istas mirabiles proprietates celatas. Et dixerunt sic: quod isti effectus Solis et Lune et aliorum quinque planetarum in hoc mundo operantes iuvant et roborant istos effectus celi. Et iterum dixerunt quod ex motu celi alii motus probantur, scilicet omnium aliorum septem planetarum insimul, et ex qualitatibus Solis insimul probantur omnes nascencium qualitates. Et dixerunt quod Luna habet qualitates ex quibus probantur et intelliguntur omnes sue qualitates et effectus. Et prima suarum qualitatum est elongacio eius a Sole, scilicet postquam separatur a Sole usque ad primam quadraturam. Et tunc eius vigor est in augmentando humiditatem et caliditatem, sed magis movet humiditatem quam caliditatem. Et tunc eius effectus apparet in crescendo arbores et plantas; et eius effectus augmentacionis magis apparet in herbis in terra commorantibus quam in arboribus que elevantur a terra. Secunda est a fine prime quadrature usque ad opposicionem. Et tunc apparet magis effectus eius in augmentando caliditatem et humiditatem equaliter. Et tunc apparet eius effectus bene in augmentando humiditatem et caliditatem in vegetabilibus et mineris. Et quando recedit ab opposicione usque ad quadraturam secundam, tunc eius vigor est in augmentando humiditatem et caliditatem, sed magis augmentat caliditatem quam humiditatem. Et magis eius effectus apparet in augmentando corpora animalium et vegetabilium et minerarum que crescunt, et tunc in omnibus suis partibus; et ideo tunc magis operatur in calido quam in humido. Et ab ista quadratura secunda usque ad combustionem Solis apparent sui effectus, motus et opera in caliditate multum remissa, imo minus omnibus aliis tribus disposicionibus supradictis quousque quod contrariatur istis aliis operibus modicum desiccans et multum infrigidans. Et hoc dicit propter motum ipsius qui tunc est modicus in humiditate; quapropter dicere possumus quod ista quarta est modicum sicca et multum frigida.

Et quando coniungitur Soli in uno minuto, tunc habet quintam qualitatem de qua sapientes Caldei dicunt quod est melior omnibus aliis qualitatibus Lune et est potencior omnibus suis figuris. Sed sapientes de Alfors dicunt quod

potencie et debilitates, augmentum et diminutio operum istius quinte qualitatis sunt secundum naturam signi in quo coniunguntur. Sed sapientes Grecorum et Egipciorum in hoc sunt concordati; dicunt enim, ut antea diximus, quod coniunctio Solis est forcior, sed negant hoc quod antea diximus, quod ista qualitas coniunctionis sit melior; imo preponunt oppositionem ipsi, scilicet quando est lumine completa. Sed omnes sapientes nostri ad invicem concordantur quod melior qualitas Lune in sua figura est quando coniungitur Soli in uno minuto, et credunt quod ista quinta qualitas sit Solis et debet alia iudicia habere diversa a iudiciis aliarum quatuor qualitatum quoniam melior et forcior est aliis in omnibus suis operibus. Et hoc est: quando Luna iungitur Soli, gaudet et letatur quemadmodum viator de suo itinere quando domum vel suum locum applicat, qui tunc erit magis complete factor omnium rerum, et maxime quod ante hoc fecerat estimacionem istorum effectuum. Quando iungitur Soli, complet opera que diminuta erant et remissa et ea augmentat que deficiebant. Et iterum dixerunt quod tunc virtutem habet faciendi effectus similes effectibus Solis; et hoc est magnum quid et nobile qualitas. Et tunc dixerunt quod omnia corpora composita recipiunt virtutes quas habere debent, nec ex predictis intelligatur quod Luna faciat virtutes et opera alia quam fiunt ex Sole, sed Luna ipsos effectus publicat et extrahit opera que sunt facta per Solem et non apparent quousque Luna manifestet ea que prius latitabant et illuminat que antea erant in obscuris. Et iste quinque qualitates Lune quas accipit ex supradictis quinque qualitibus quas habet erga Solem sunt secundum qualitates omnium animalium in annis eorum vite quemadmodum sunt etates quinque ut infancia, puericia, iuventus, senectus et decrepitas. Et sic sunt quatuor tempora anni – scilicet ver, estas, autumnus et hyems – et similiter quatuor partes mundi – scilicet oriens, occidens, meridies et septentrio; et quelibet istarum partium ventum habet principaliter appropriatum. Similiter sunt quatuor humores in corpore, ut sanguis, colera, flegma et melancholia. Et isti sunt sensus et opiniones que debent intelligi in predictis, et maxime quod omnes radices istarum operationum sunt ex potenciis planetarum, Solis et Lune, et eorum motuum secundum qualitates graduum signorum quibus recipiunt vires et potencias planetarum in motibus suis, que vires transeunt ad illas ex planetis existentibus in suis figuris. Idcirco alias habebunt qualitates significacionibus aliarum figurarum a suis figuris separatarum quas habebant in suis dispositionibus. Et quando ista sic sunt, manifestum est quod omnia corpora composita mutantur et alterantur in omnibus qualitibus mutabili duracione quocumque tempore et quacumque hora secundum recepcionem motuum planetarum et suarum figurarum ad invicem; et mutaciones iste mutaciones divise nuncupantur. Sed alie prime quas antea diximus, que sunt radices et proprietates omnium rerum, sunt que appellantur mutaciones communes et remanentes, que non mutantur nec alterantur quia, si alteracionem reciperent aliquam vel mutacionem, corrumperentur et destruerentur omnes figure universalium rerum mundi; quapropter sunt remanentes et communes.

Sed conclusio quam accipere debemus in omnibus que hactenus diximus est quod omnia mundi in omnibus suis qualitibus, ordinibus et finibus sunt ex figuris Lune cum Sole propter quod est in quantum continetur in arboribus et corporibus compositis propter stellas et Lunam. Et ista est maior potencia et damnamentum que recipiunt propter eclipsim Lune et aliorum planetarum

eclipsatorum <. .> a Sole et Luna et stellis fixis mutaciones durabiles; et postea mutantur et recipiunt bonitatem a bonis qualitatibus et damnacionem a malis. Et eclipsis est quid contingens Soli et Lune et aliis planetis, et assimilatur damno aliorum corporum compositorum. Nec credatis ullo modo quod Sol et Luna damnum aliquod recipiant natura vel accidente; et nominabimus ista impedimenta celi que taliter intelligas quod cause damnificantes sunt animalibus, arboribus et aliis corporibus compositis ex quatuor elementis que alterantur, mutantur et damnantur propter eclipsim Solis et Lune et aliorum planetarum.

Deinde subsequenter debes inspicere ad locum congruum et profectuosum in omnibus operibus et convenientem tuis operacionibus, notando signa veridica et falsidica in rebus que influunt in hoc mundo tam generacionis quam corrupcionis, eo quod istud est illud quod maiorem potenciam habet in mundo in omnibus suis qualitatibus. Similiter inspicias liberacionem ab impedimentis et infortuniis et quod non sit in via combusta quia omnia opera que ordinantur Luna existente in bona qualitate et recto tramite, illa complentur et perficiuntur ad bonum; et quicquid ex eis queritur apparebit cum effectum, et eorum durabilitates erunt secundum motum Lune tardum vel velocem, et secundum quod ostendunt signa in quibus cum infortunis erit coniuncta, vel descendens in meridie, vel sit in fine signorum et in postremo gradu vel penultimo eorundem, quia omnia ista damnificant et debilitant eam; vel sit descendens in suo descensu, vel cadens a domino domus sue non aspiciens eum, vel cadens ab ascendente vel aliquo angulorum aliorum, vel sit cum Capite, quoniam hoc inceptum non adimplebitur nec durabilitatem habebit; vel non sit planeta a quo separatur Luna vel ille ad quem vadit Luna in angulis vel succedentibus angulorum quoniam Luna quando est cadens ab angulis seu a succedentibus angulorum non est congruens alicui operi. Et [si] locus sui descensus racione circuli domorum est contraria domus ab ascendente, ipsa existente in nona domo, et dominus eiusdem domus cadens ab ascendente, erit similiter ut supra. Et si inveneris dominum domus Lune in ascendente, medio celi, 11, vel 5, orientalem et directum, omnia erunt congrua et competencia rebus quas facere disposuisti. Exemplum: quemadmodum benevolencia Veneris est pro omnibus operibus que sunt in actibus iuvenum, leticie et picturarum vultus mulierum, et ut benevolencia Iovis appropriatur operibus prelatorum, regum et dominorum, et similiter benevolencia Mercurii nunciis appropriatur et scribis, et ut benevolencia Solis regnis et magnis operibus et regibus appropriatur, necnon et benevolencia Lune disciplinis et nunciis attribuitur. Et sic secundum predicta debes inspicere in omnibus operibus et dispositionibus que facere volueris cum effectum, scilicet Solem et Lunam et dominos suarum exaltacionum necnon et dominos terminorum suorum; deinde aspicias ascendens et medium celi quod quando inveneris eos ab infortunis mundos et quietos et eorum dominos in bonis locis situatos, erit illud opus bonum et bene ibit et complebitur et ad effectum tradetur; et quanto magis <si> fortune fuerint lucentes et apparentes ex dextro et dominus ascendens orientalis, quia planete quando sunt orientales significant victoriam et complementum rerum absque difficultate aliqua impediendi, et quando fuerint occidentales, et maxime in uno 4 angulorum, significant pigriciam, tarditatem et elongacionem rerum. Et si inveneris Lunam in bono loco eiusque dominum cadentem, signat quod dispositio huius negotii erit bona in principio, in fine vero mala. Et si

inveneris Lunam et dominum domus eius in bono loco, opus illud bonum erit in toto et totum complebitur, et que in eo volueris obtinebis, et finem bonum habebit; et hoc quanto magis erit si dominus ascendentis sit fortuna et in ascendente vel in aliquo angulorum ascendentis, vel si fuerit infortuna et sit in bono loco situatus. Propterea melius et utilius quod esse possit in predictis est ut Iupiter vel Venus sit in ascendente vel ascendens aspiciant bono aspectu; et tunc negocium illud leviter adimplebitur bonumque finem obtinebit, et adimplebitur intentum leviter et cito. Et quanto magis <si fu>erit Luna ligata fortunis et ille fortune non sint minuentes lumine nec retrograde, quia ista omnibus operibus sunt conveniencia preterquam in captivis qui a dominis suis fugere laborant vel volentibus capere que sua non sunt.

Et advertas Lunam in omnibus operibus tamquam principaliorem omnibus aliis planetis propter quod habet manifestiores effectus et iudicia omnibus aliis in hoc mundo, eique pertinet potencia generacionis et corrupcionis, et est tamquam mediatrix in istis operibus; recipit enim influencias et impressiones stellarum et planetarum, et infundit eas in inferioribus huius mundi.

Quapropter advertas illa que supra diximus de suis fortunis et infortuniis, augmento et diminucione luminis, quia postquam separatur a Sole compensantur eius vires; deinde mutantur quando est in sextili, 4, 3, et opposito aspectibus. Et erit eius fortitudo secundum naturam planetarum et stellarum quibus iungitur, ipsa in predictis aspectibus existente. Et si inveneris Lunam crescentem lumine, tunc eius virtus et potencia melior erit et utilior in omnibus operibus que facere volueris augmento; et si ipsam inveneris minuentem lumine, tunc erit apta et congrua in omnibus operibus que facere volueris diminucione. Et postquam Luna separatur a coniunctione Solis usque ad quadraturam sinistram, quousque attingat oppositionem, semper erit bona et congruens empcionibus et vendicionibus, iudiciis et debitis petendis, disputacionibus et pro consiliis in omnibus requirendis. Et postquam separatur ab oppositione, transiens per quadraturam dextram usque ad coniunctionem Solis, erit bona et apta ad petendum debita que debemus, et pro illis qui tenent possessiones et redditus alienos, et pro sapientibus et pro petentibus et inquirentibus veritatem.

Et scias quod melior et forcior fortuna ascendentis est quod habeat fortunam in ipso ascendente signo necnon et in 2 eiusdem. Preterea te non lateat quod signa mobilia sunt bona et appropriata omnibus que vincere volueris et obtinere, et maxime Aries et Capricornus; et signa communia nigromancie et rebus mirabilibus appropriantur; signa vero fixa competunt et ordinantur ad ligandum et ad trahendum et magicis operibus operandum. Et omnia que durabilia appetis esse, et eciam in maiori opere, sunt aptanda et ad spiritus attrahendum penitus et ligandum. Preterea in precedentibus sunt consideranda ut ascendens sit signum commune et Luna sit in signo mobili aspiciens ipsum ascendens. Et similiter in omnibus rebus durabilibus ponas ascendens signum fixum vel commune, Lunam in signo fixo existentem, aspicientem dominum domus sue trino vel sextili aspectu, liberum existentem ab infortunis necnon et a combustionem et retrogradacionem. Et si omnia ista non possent plene considerari, tamen aspicias ut Luna sit aspiciens fortunam et dominum ascendentis trino vel sextili aspectu; et caveas in omnibus a 4 et opposito aspectu quia meliores aspectus sunt trinus et sextilis, deteriores vero 4 et oppositus. Et similiter quando dominus domus aspicit Lunam amicabili aspectu, et ipso infortuna existente, erit bonum in peticionibus et in omnibus

quibus fueris operatus. Et in omnibus tuis operibus caveas ne sit Luna cum Cauda Draconis coniuncta nec ab infortunis 4 aspectu vel opposito intuita; necnon et multum forcius aspicias in omnibus tuis operibus diminucionem Lune, quia quando minuitur arguit et ostendit damnum et detrimentum, tarditatem et debilitatem in omnibus rebus mundi. Et iste sunt diminuciones Lune: scilicet, quando minuitur lumine et computo et tarda est in motu. Et melior status et condicio istius Lune est quando est crescens lumine et computo et velox cursu nec aspiciens Martem aliquo aspectu quia, quando aspicitur a Marte ipsa crescens lumine, inter magna ipsius Lune infortunia reputatur; et quando aspicitur a Saturno, ipsa minuente lumine, est infortunium grave. Sed una inter alias ipsius virtutes et potencias est quod sit super terram in nocte. Et scias quod melior et utilior inspectura in omnibus quibus operamur in predictis est ut Luna et ascendens sint in signis directe ascendentibus; et quando sic erunt, opera illa complentur cum effectu leviter et cito, et maxime quando erunt in signis communibus vel fixis.

Tamen ex mobilibus signis mobilior est Aries, deinde Cancer, postea Libra, quod est forcius omnibus aliis inimicis. Eodem quoque modo intelligas quod anguli sunt leviores in omnibus operibus, postea succedentes; cadentes vero sunt magis tardi. Et levior omnibus quod esse potest est quando fortuna erit in ascendente et Luna crescens lumine et computo. Notandum insuper quod fines rerum non dignoscuntur nisi ex triplicitate Lune et domino ascendentis et ex calculacionibus suorum locorum et qualitatum et aspectibus cum planetis eorum ad invicem in ipsis temporibus; et secundum predicta fines rerum sunt iudicandi.

Et Dorotheus suis documentis sic nos docuit, dicens quod in iudicando iudicia et dispositiones rerum est aspiciendum ascendens et eius dominus, Luna et dominus domus Lune. Et caveas tibi in ipsis dispositionibus a 10 iudiciis Lune; nec ipsa sit cadens ab ascendente pro posse tuo; et multo magis ne sint dominus ascendentis et dominus domus Lune due infortune aspicientes Lunam ab ascendente vel a domibus eorum propriis. Et aspicias in omnibus operibus et dispositionibus ne pars fortune sit cadens ab aspectibus Lune vel coniunctione eius; nec cures de domino partis nec eciam de parte propria utrum sit cadens ab ascendente postquam aspiciat ascendens et Lunam. Tamen si dominus ascendentis erit iunctus parti, erit melior omnibus operibus et dispositionibus tuis. Et diligenter aspicias in omnibus operibus tuis ne sit Luna in 3, 6, 8, vel 12 domo ab ipsa parte fortune, quia tunc in omnibus negociis mala erit et incongrua. Et nota semper in omnibus operibus tuis ut Luna et ascendens sint in signis directe ascendentibus. Et scias et intelligas quod ascendens et 4 omnes dispositiones communiter significant et ostendunt. Et si inveneris Lunam male dispositam et occurrerint tibi aliqua de necessitate agenda, que nullo modo retardare posses ne fierent, facias Lunam cadentem ab ascendente nec partem aliquam in eo habentem, et ponas fortunam in ascendente, fortunabisque idem ascendens necnon et dominum eius. Et hoc est quod Dorotheus dicit.

Et debes scire quod fortitudo et bonitas ascendentis in duobus consistit, scilicet in forma et fortuna, nec aliter de domino intelligas ascendentis. Forma enim est quod ponas ascendens simile nature rationibus et qualitibus petitionis intente. Et similitudo qualitatis est istius condicionis, quod, si operatus fueris in rebus cito et leviter adimplendis et per vim motus et in domibus regum et sublimis, in his omnibus ex signis igneis ponas ascendens.

Et similitudo huius rationis est quod, si opus tuum fuerit in bellicosis et armigeris rebus operandis, ponas in ascendente unam ex domibus Martis. Et fortunabis domum petitionis necnon et dominum ipsius domus propter quod locus sive domus petitionis demonstrat et ostendit id quod erit in principio et ordinacione, et dominus petitionis significat et ostendit id quod erit in medio ipsius petitionis per effectum, et dominus domus domini petitionis significat finem et eventum rei. Et eodem modo ascendens demonstrat id quod erit in principio rei, et dominus domus domini ascendentis significat finem rei. Et aspicias partem petitionis; nam ipsa ostendit qualitatem ipsius petitionis, eiusque dominus similiter et dominus domus domini partis. Et diligenter inspicias quomodo dirigas predicta loca quemadmodum narravimus in predictis, et ponas in eis fortunas ex fortunis ipsis que dant fortitudinem quando in ipso loco consistunt, et predicta bonis aspectibus aspicientes; et facias ut infortune sint ex ipsis locis cadentes. Et nullo modo ponas dominum ascendentis nec petitionis dominum planetam retrogradum quia, si aliquis eorum erit retrogradus, illud tardabitur et elongabitur et non implebitur; hoc enim ostendit et demonstrat. Et similiter omnia alia loca sint salva in omnibus suis qualitibus. Et si aliquis eorum fuerit retrogradus, destruentur ipsius effectus in principio et non complebuntur nisi cum labore et periculo. Et iterum advertas ne aliquis predictorum sit in coniunctione Solis et Lune nec in eorum opposicionibus, sed sint in ascendente vel in loco petitionis aut cum ipsius petitionis parte; et fortune sint in ascendente vel in aliquo angulorum ascendentis vel in ipsius petitionis loco. Et scias quod fortuna maior habet maiorem vim et potenciam in omnibus petitionibus, altis scienciis et legibus, et fortuna minor extenditur et operatur in omnibus petitionibus cum mulieribus litigancium necnon in ornamentis et gaudiis mulierum et viciis et similibus. Et nullo modo ponas Lunam in ascendente in aliquibus que facere intendis quia est inimica ascendentis, sed Sol non inimicatur ipsi ascendenti eo quod discooperit encia et disgregat congelata.

Et similiter non ponas infortunam in ascendente nec in aliquo angulorum eius, et maxime si ipsa infortuna habet potenciam in aliquibus locis malignis quemadmodum si esset dominus in octava domo; hoc enim ostendit damnum in rebus mercimonialibus et in mutacionibus et dominiis magnis; et si ipsa infortuna dominium haberet in 6 domo, ostendit detrimentum illius rei causa inimicorum, servorum, infirmitatum, carceratorum, seu bestiarum; si vero ipsa infortuna dominium habuerit in 12 domo, ostendit impedimentum et damnacionem illius rei ex miseria, conflictu, inimicis aut mediis carceribus; quod si infortuna habuerit dominium in 2 domo, ostendit et arguit damnum illius rei ex aliqua causa diviciarum aut causa serviencium aut causa comedendi aut bibendi. Et aspicias in predictis omnibus in quibus de ista materia sumus locuti quod non obliviscaris aliqua predictorum, sed ea teneas tamquam radices tocius magice artis. Et in omnibus in quibus operatus fueris in die ponas signum diurnum et directe ascensionis in ascendente, et in operibus nocturnis ponas in ascendente signum nocturnum et ascensionis directe. Et iterum aspicias Solem et Lunam si poteris, et aspicias istas horas et dominos locorum potencium et fortificatorum; et hoc ut potencie et fortitudines superius tacte coadunentur insimul et iungantur. Quapropter inspicere debes et dirigere status planetarum ostendencium et significancium opera que facere volueris et aggregare priusquam incipias operari. In omnibus vero operibus

que facere volueris ad amorem et benevolentiam viro vel mulieri aspicias quod Luna sit recepta a Venere trino vel sextili aspectu; et melius si fuerit in domo vel exaltatione sua.

Et nota quod trinus aspectus est ille qui iungitur triangulo equalium laterum ita quod quodlibet latus habeat 120 partes ex circumferencia celi, et sextilis aspectus est qui iungitur in figura exagona 6 latera equalia habente et in quolibet sui latere habet 60 partes ex circumferencia celi, et quartus aspectus est qui iungitur in quadrangulo quatuor laterum equalium constituto et habet in unoquoque sui latere 90 partes ex circulo celi diviso; oppositus est ut sint in extremitatibus ipsius diametri celi.

Nunc autem redeo ad rationem in qua morabar, et dico quod si contigerit aliquod opus tibi quod non possis retardare usque quo Luna sit a Venere recepta, facias ipsam esse in suo trino aspectu et receptam a Iove vel a domino domus sue trino vel sextili aspectu; et si hoc totum facere non poteris, facias ipsam esse in termino Veneris fortunatam a Iove et ab infortuniis mundam. Sed si opus tuum fuerit ad amorem et benevolentiam, ponas gradum ascendentem unum ex terminis Veneris. Et si opus tuum fuerit ad acquirendas partes hereditatum, ponas dictum terminum Veneris in principio 4 domus. Et si opus tuum fuerit ad acquirendum proficuum ex legibus, sit hoc in 9 domo. Et si opus tuum fuerit fiducie et pro ea cogitas et laboras, sit hoc in 11 domo, et forti loco fortunabis partem fortune necnon et eius dominum ponas a fortunis receptum. Et si opus tuum fuerit pro proficuo litis et preliis et similibus appropriatum, facias Martem receptum et a Luna amicabili aspectu receptum. Et si opus tuum fuerit pro debitis ordinandis, facias loco Martis receptorem Saturnum. Et si opus tuum fuerit propter numeros, scribanias, vel studium, facias ut ipsa receptio sit Mercurii. Et si opus tuum fuerit pro placitando vel litigando cum regibus et altis hominibus, facias ut Iupiter recipiatur ut supra. Et si peticio tua fuerit in aliis rationibus, videlicet in rationibus remanentium, facias ut ipsa receptio sit domini ascendentis; hec autem receptio Lune et ascendentis et partis fortune necnon et partis substantie. Et dirigas dominum Lune et dominum ascendentis necnon et dominum quarte domus quemadmodum diximus in predictis, et facias predictorum omnium loca esse munda ab infortuniis et quieta et fortunata a fortunis in quantum poteris pro posse quia istis locis dignoscitur finis rerum.

Et quando volueris petere aliquid ab aliquo ut de bonis tibi concedat et tribuat, ponas dominum ascendentis et Lunam receptos ab almutaz et domino petitionis, et ponas Lunam vel dominum ascendentis in loco petitionis. Et si petieris senibus vel terram laborantibus, ponas Saturnum dominum petitionis. Et si tua peticio fuerit officialibus, iudicibus, prelatibus vel hominibus divitibus et francis, sit dominus tue petitionis Iupiter. Et si peticio tua fuerit militibus vel hominibus in armis et magisteriis, ferreis vel igne se intromittentibus, ponas dominum petitionis tue Martem. Et si peticio tua fuerit regibus vel altis hominibus, ponas dominum petitionis tue Solem. Et si peticio tua fuerit mulieribus vel hominibus gaudiis se intromittentibus, ornatibus, pictoribus, [ornamentis,] histrionibus et illis qui se intromittunt [de] picturis pannorum sericorum vel deauratorum et similium, ponas Venerem dominum petitionis tue. Et si peticio tua fuerit mercatoribus, scribis vel hominibus magisteriis et subtilitatibus geometricis se intromittentibus, ponas dominum petitionis tue Mercurium. Et si peticio tua fuerit in rebus frigidis et aquee nature, nunciis vel causa coram rege eundi seu hominibus se

intromittentibus apessonandi et similibus, ponas dominum petitionis tue Lunam. Et similiter in omnibus petitionibus tuis fortunabis dominum ascendentis pariter et Lunam. Et si peticio tua fuerit propter questionem substancie et victus, dirige partem fortune ut sit recepta a fortunis. Et caveas ne ab aliqua infortunarum lumen Lune abscondatur a domino ascendentis vel e contrario, nec aliqua infortunarum sit cum domino petitionis et cum Luna necnon et cum domino ascendentis nec habeat coniunctionem nec posse aliquod cum ipso petitionis domino, et quod receptio quam antea diximus sit de trino vel sextili aspectu cum fortunis vel infortunis similiter et coniunctio sit cum fortunis. Et caveas ne dominus petitionis sit cadens ab aliquo angulorum, necnon Sol et Luna et dominus ascendentis similiter. Quod si omnia observare non poteris, advertas motum unius 5 dominorum petitionis; et habeat aspectum et receptionem secundum petitionem quemadmodum diximus. Et ponas ista duo loca bene recepta a fortunis. Et caveas ne aliqua infortunarum sit cum domino domus Lune nec cum domino domus 4 et domino ascendentis similiter; quia si aliqua infortunarum esset in predictis, damnat, destruit et impedit finem petitionis tue.

Et si volueris operari in aliqua re ex magisteriis et ministrilibus, aspicias ut Luna et ascendens sint in signis communibus, munda ab infortunis. Et si opus tuum fuerit ex auro, fortifica Solem et apta ipsum cum fortunis in tui operis principio; et eundem in qualitatibus omnibus observabis.

Hactenus diximus generaliter in iudiciis stellarum, in quibus si animadvertas in eis et ea intellexeris quemadmodum debes, te iuvabis ex eis in quibuscumque operibus in ista sciencia fueris operatus; et per generalia particularia intelligere poteris et estimare. Et debes esse cautus omnino ut nemini predicta reveles et ostendas nisi intelligenti in ipsis et studenti. Et scias quod iste sunt radices et cimentum ymaginum, et ista sunt quibus sua secreta in propatulo demonstrantur; qua de causa fuit a lege prohibitum profundum studium artis astronomie propter quod eius sciencia profunda attingit ad scienciam magice artis perscrutandum. Quam ob rem ait Aristoteles Regi Alexandro: O Alexander, caveas omnibus momentis tuis et operacionibus in quibus fueris operatus eas facere secundum motus, aspectus et qualitates corporum celestium; quod si ad predicta inspexeris, petitiones tue implebuntur cum effectu, et habebis quicquid in tua voluntate fueris estimatus. Et hoc documentum est bonum valde et utile quia ista est differentia inter motiva sapientum et insipientum qui mundanis cogitacionibus nequeunt pervenire et cogitacionibus alterius mundi sunt obfuscati; que cogitaciones alterius mundi nihil aliud est quam secreta sapientum circa sciencias et sapiencias inclusa.

Capitulum quartum. De motu octave spere et stellarum fixarum.


Sapientes antiqui qui fuerunt in scienciis magicis eruditi viderunt quod quatuor quarte celi moventur ab occidente ad orientem 8 gradibus, postea redeunt ab oriente ad occidentem aliis 8 gradibus; et talem motum appellaverunt motum 8 spere. Et multi ex expositoribus tabularum astronomie obliti fuerunt istius motus, nullam mencionem facientes de eo; in quo quidem motu sunt magne utilitates ipsius magice. Et fuerunt aliqui ex eis facientes tabulas qui dictum motum in ipsis tabulis posuerunt necnon et numerum et calculacionem quibus eius motus semper ad libitum

invenitur. Et hoc nullo modo tradas oblivioni propter quod est in ipsa magice sciencie maxima radix eo quod isto motu figure celi mutantur, quod est unum ex secrecioribus istius sciencie. Qui quidem motus istorum 8 graduum completur in 640 annis, et in totidem redit. Et iam dictum est tibi et ostensum quantum custodire oportet ipsum motum in ista sciencia magice necnon in sciencia effectuum celi. Qui quidem motus est motus poli celi signorum et est motus ab oriente ad occidentem et e contrario, nec potest aliter esse nisi ex istis duabus maneriebus. Et quando motus iste movetur ab oriente ad occidentem ostendit et significat res que in hoc mundo fiunt et opera, et quando incipit de occidente ad orientem ostendit et significat alios qui in hoc mundo fiunt effectus. Et iste motus est motus octave spere signorum et stellarum fixarum, qui quidem motus non est celi motus equalis. Et oportet quod hunc motum intelligas et ipsum in omnibus operibus tuis inspicias diligenter.

Capitulum quintum. De divisione huius sciencie inter gentes et quam partem quelibet earum gencium habeat.

Dico enim tibi quod vidi cuidam ex sapientibus antiquorum quoddam mirabile magnum valde ad istam scienciam pertinens quod ad presens dicere decrevi. Qui dicebat hanc scienciam in tres partes esse divisam. Quarum prima est sciencia magica; et qui magis student et operantur in ea sunt quos nominavimus Azahabin, qui sunt servi capti Caldeorum. Secunda est sciencia stellarum et orare ipsis cum suffumigacionibus, sacrificiis, oracionibus et scriptis; et illi qui in hac sciencia studuerunt sunt Greci, qui in ea sunt multum subtiles, scientes et intelligentes in ipsa (videlicet astrologia), et isti scienciam veridicam habent quia astrologie sciencia pro radice tocus magice sciencie reputatur. Tercia vero pars est sciencia que operatur suffumigacionibus, dictis et verbis proprie appropriatis illis rebus, necnon et sciencia spirituum illis verbis coniungendorum necnon et ipsis separandorum; et Indi circa hanc scienciam maxime versantur, et quidam de Liemen et Naptini de Egipto sunt in hac manerie maxime operati. Et quelibet harum predictarum manerierum habet radicem et essenciam theorice et practice.

Et notum est et manifestum quod Indi habent vim et potenciam verbis quibus ex venenis mortiferis absque medicinis liberantur et sanantur. Et similiter habent dicta et verba quibus quem volunt a demoniis male vexant, necnon et ipsis possibile est transmutare sensum solo verborum predictorum auditu, et movent motus quos movere desiderant ipsorum verborum virtute. Et similiter habent instrumentum musice artis compositum, quod nominant alquelquella, et cordam armoniarum habens solam, quo faciunt sonos et omnes eius subtilitates quemadmodum cupiunt et optant. Et similiter mirabilia operantur circa mulieres, quas concipere faciunt absque coniunctione virili; et hoc motibus, operibus et medicinis. Et quidam Indi faciunt quoddam potabile vinum quod bibunt, quod eis prohibet et vetat canescere et debilitatem senectutis, et non nisi naturali morte moriuntur ipsius vini virtute. Et in predictis omnibus sunt potenciores omnibus aliis eo quod predicta eis sunt natura concessa, aliis vero industria conceditur hoc et labore; et ipsi habent maiorem potenciam in artibus nigromancie et fascinacionibus ceteris huius mundi. Et quidam Indi vulgari sermone dicunt et asserunt quod a linea equinoctiali versus meridiem est quedam populacio quam diabolos appellat. Sunt enim subtilissimi quia non generant neque moriuntur, cum

quibus lex concordatur. Et ibi planete sive corpora celestia que in eis vires et potencias habent sunt Saturnus et Cauda Draconis. Et dicit sapiens superius nominatus quod omnes forme et figure generacionis et corrupcionis in hoc mundo existentes sunt viribus et influenciis stellarum fixarum et secundum figuras et disposiciones stellarum fixarum in ipsis ymaginibus existencium disponuntur et ordinantur. Et dicit iterum quod alie figure et forme sunt in celo que non sunt in terra et non cognoscuntur nec comprehenduntur nisi a sapientibus qui sunt docti in sciencia artis magice et spirituum, que terminatis proporcionibus terminantur. Et eis posuerunt nomina quibus cognoscuntur, non propterea quod ista nomina ostendunt aliquod esse vel aliquam qualitatem ipsarum figuram. Et ista nomina sunt figure et sigilla quemadmodum ista: ; postea ad invicem lineis coniunguntur. Et iste linee que de una protrahuntur ad aliam sunt sicut radii considerande, qui de uno ad aliud protenduntur, quibus figure et ymagine inde figurantur; et ipse in octava spera et stellis fixis sunt situate.

Et idem sapiens dixit quod alie ymaginative figure sunt in celo que non nisi intellectu sunt figurate quemadmodum sunt gradus celi suis corporibus. Et mirabilia que prefatus sapiens locutus fuit non possunt intelligi nec sciri nisi ex libris Indorum, qui se multum in hac sciencia intromiserunt. Et dicunt quod iste figure fieri debent in horis et temporibus et constellationibus debitis et opportunis cum ascendentibus debitis et appropriatis. Et conati sunt similiter inquirere auguria capitum et avium necnon in speculis et ensibus inspiciencium et somniorum interpretaciones explanandi. Et predicta faciunt ut possint se iuvare in suis petitionibus et ut subtilitates et secreta scire possint. Et cum eis se iuvare valeant quemadmodum astrologi se iuvant ex circulis qui circa planetas et Lunam fiunt et iride sive celesti arcu in aere apparente necnon et ex scintillationibus in stellis apparentibus et turbine in Sole apparente, ex quibus omnibus iuvat se astrologus in iudicando et ipsos celi effectus cognoscendo. Et similiter dixerunt quod in celo sunt forme pulchre et formose et alie pulchritudine carentes, que fiunt ex disposicionibus et figuracionibus stellarum fixarum. Preterea nascentes sub ascensionibus formarum pulchrarum et formosarum, Sole vero et Luna existentibus in figuris similiter formosis, ostendit tales fortunatos esse in suis operibus et motivis; et si hora nativitatis fuerit in ascendente figura turpis et deformis, Sole autem et Luna in similibus existentibus, ostendit quod homo sic natus in omnibus suis operibus, negociis et motivis erit infortunatus. Et sic aspicere debes in revolucionibus nativitatum et in quibuslibet coniunctionibus; et in magice operibus idem. Et eciam dicunt sapientes quod in constellationibus et suis motibus est unum quid quod in aliquo iudicio nihil ostendit quemadmodum sunt somnia vana nullam significacionem habencia nec intellectum. Ex quibus predictis constellationibus advertas ne aspicias in eis; imo ab aliis tuam petitionem perquiras. Sed ipsas aspicere in nativitatibus, coniunctionibus et revolucionibus oportet. Similiter sapientes dixerunt quod sciencia somniorum est quedam vis consistens in anima, que cum spiritibus celi est ligata. Et per eam videntur forme et figure rerum secundum quod in terra possunt possibles esse, et in ipsis vis spiritus formatur; et hec sunt somnia veridica quibus accertamur in rebus. Et sciencia hec somniorum est congrua sciencie astronomie et suis similibus propter quod in hac sciencia somniorum iuvant se ex sciencia astrologie. Et hec vis et influencia est ex viribus Mercurii quia, cum Mercurius in radice nativitatis fortis fuerit,

divinacionem somniorum ostendit. Et somnia similiter quandoque veniunt a quietudine, quandoque propter humores, quandoque propter vapores ad cerebrum ascendentes ut phisici dicunt et asserunt; et talia somnia nihil significant.

Et scias quod somnia sunt veraciter demonstrationes rerum simplicium separatarum et a corporibus diversarum. Et hoc est quando anima deserit sentire ex virtutibus sensitivis nec se iuvat ex ipsis; imo formantur secundum cogitationes mentis et vires encia informantes – has que tenent virtutes rerum sensibilium et iterum habent terciam proprietatem quemadmodum est reminiscencia rerum postea secundum hoc: quando spiritus rationalis existit completus ut debet, videt encia que viderat ipse homo. Et veniunt nec plus nec minus prout in somnio ante videbantur apparentes. Et si virtus in qua encia formantur erit forcior spiritu rationali, videbit quod viderat in propria similitudine rei prius per visum apprehense, sed non proprie ipsam.

Exemplum ad istas duas maneries: homo qui in se habet spiritum rationalem completum videbit in somniis quemadmodum ursum vel canem post se currentem, et idem accidet ipsi. Et alia maneries: apparebit somnio predicto ut sit latro vel homo male condicionis currens inter eos; et hec est similitudo. Et si natura fuerit fortis et potens, erit spiritus impeditus cum ipsa natura fortitudine que est fortis et intromittens se rebus naturalibus ut comedere, bibere, induere et cum mulieribus iacere; et omnia que naturalia sunt corpori videbit in somnio similia rebus plus abundantibus ex parte. Ac si corpus coniunctionibus mulierum esset dispositum, scilicet spermate repletum, sibi videbitur ac si esset mulieri coniunctus; et hoc quia natura vult expellere a se ipsius materie replecionem. Et si corpus esset humidis humoribus repletum, in somniis rivus et aquas videbit. Et si esset colera repletum, apparebunt in somniis ignis et accensio eiusdem et similia. Et si melancolia fuerit repletum, videbit in somniis res metuendas et expavescendas et huiusmodi similia. Et similiter augurii certificantur; et sic est veritas quando vigor estimacionum ipsorum iungitur illis rebus que ipse augurius visu et auditu et sedendo comprehendit et cogitando in eis rebus ab augurio perceptis. Et si eorum virtus in qua encia formantur fuerit fortis et munda ad informandum in se res illas que habent esse quemadmodum sapiens in speculo videt encia et adiuvat se cum eis que videi et audit, et omnibus istis potest attingi vis sciencie et intellectus rerum que habent esse. Et hoc totum est vi et fortitudine spiritus. Et isto modo facit virtus sive vigor in qua encia formantur cum separantur a sensitivis et relinquunt sensitiva. Et efficitur medium inter sensitivum et actum visibilem in instanti; et adunantur viribus spiritus. Et ex hoc sunt somnium et augurium, hoc est: si corpus fuerit a malis humoribus purgatum et equale in sui complexione, quicquid videbit erit veridicum et certum; et si fuerit e converso, quicquid videbit erit falsum et vanum.

Et manifestum est quod divinacio est virtus quinte essencie, et est illa quam propheciam appellamus. Et est una ex viribus spirituum in qua formantur ea que videntur ex rebus separatis. Et percipit et intelligit ea dormiendo vel vigilando quia, quando virtus illa in qua formantur encia est completa et munda ab omnibus superfluitatibus et immundiciis, videbit res separatas quemadmodum sunt ut encia in speculo apparencia; et eodem modo patefiunt in spiritu quando est nitidus et completus. Et propter hoc nemo divinator erit qui predicere possit de rebus abstractis quid eveniat nec attingat res que sensu comprehenduntur perfecte. Et si completus fuerit in rebus superius nominatis

que sensu comprehenduntur, et aliis sufficientiis carebit antedictis, erit sapiens solummodo. Et si ipsa duo complementa habuerit, erit propheta. Et hoc esse non potest nisi in hominibus singularibus in quibus propheticus spiritus complete funduntur a primo encium disponente, qui est ipse Deus, qui ipsos spiritus propheticos transmittit et infundit mediante sensu communi ita quod ipse Deus talem virtutem in eo naturaliter ponit, et ex isto sensu communi evenit virtus et potencia sensui sive intellectui hominis. Et ipse sensus iungitur viribus ex quibus encia formantur; deinde, propter ligamentum illius virtutis, sensus ipsius hominis est sapiencia decoratus; et propter quod attingit virtutibus encia formantibus etiam propheta appellatur. Et homo qui est sic dispositus est alcior et magis completus et magis fortunatus ceteris quibuscumque. Et hoc est bonum quod querimus: ut per ipsum ad talem situm attingere valeamus. Non enim desideramus bonitates nisi ut per eas habeamus fortunam maiorem. Quamobrem decet nos circa bonos mores et appetitus versari ne homines malorum morum fiamus. Et ideo docent homines in legibus et credenciis futurorum ut ipsos coadunent uni intellectui in bonitate. Et ista est via et modus attingendi ipsam fortunam maiorem necnon et cognoscendi res mundi et suas qualitates et qualiter sunt insimul copulate necnon et quelibet divisa per se. Et istam partem propheciam appellamus, cuius ordo est a rebus sensibilibus usque ad alciora procedere discurrendo quousque ad metaphysicalem scienciam veniamus in qua virtus hominis completur; et per sciencias speculativas est perfectus. Et hoc est bonum quod querit homo, nec aliquid maius eo poterit invenire quoniam nihil melius quam fortunam completam inquirere poterit et habere. Unde dicit Albinus Alfarabi in libro quem fecit in magisterii ministerio: quod ordo et dispositio rerum universalium erit modus et via res altas et sublimes percipiendi, et ea quibus attingimus ipsam fortunam maiorem sunt boni mores et opera virtuosa que pariunt bonitates. Et ille qui ad ista attigerit habet inicium durablem omni tristitia carens, imo gaudium et leticiam et durablem sapienciam habebit in perpetuum et sine fine. Et idem asserit conditor legis, dicens quod non est vita [veritatis vita] digna memorari nisi vita alterius mundi futura, quia presens vita respectu illius est pro nihilo reputanda. Nunc autem ad propositum redeamus. Et dico quod secundum opinionem Indorum spiritus se ostendunt ut corpora loquuntur et ostendunt res que faciunt reges diligere et odire quos volunt, producere et retrahere ab effectibus ea que volunt. Et hoc est secundum operationes antiquorum sapientum quas faciunt in ymaginibus diversarum figurarum, includentes in ipsis horas cum suis oracionibus illius quod petit. Et iterum dicunt quod ymagine sunt spiritus temporis electi propter quod opera que fiunt ex eis sunt veluti miracula et similitudinem miraculorum habencia. Et hoc est quia eorum opera sunt naturalibus virtutibus instituta eo quod virtutes naturales mirabiles faciunt effectus quemadmodum lapis iargonza rubea (id est rubinus) qui subvenit et iuvat tenentibus eum a malis et infirmitatibus et in epidimia et multis aliis operibus virtute naturali. Et sic facit ymago cui copulantur due virtutes, videlicet virtus et potencia corporum celestium quam ipsa recipit ymago a corporibus absconditis, alia a virtutibus naturalibus impressa quemadmodum fit in expulsione pulicum, bibionum, et muscarum, que fit ex magisterio et operibus constellationum et corporum celestium. Et ymagine horis et punctis debitis facte ex materia naturaliter appropriata habent effectum quem queris. Et proprietas virtutis naturalis est quod intelligas et

scias ex qua materia quelibet ymago fieri debet et construi secundum virtutem et effectum quem ab ea desideras evenire, et quod scias quod omnia opera que in hoc mundo fiunt causa aliquid sciendi vel aliquid factum aut scienciam attingendi – omnes sunt ymagine ex qua manerie queris ex ymaginibus. Et si ad predicta omnia que sumus hactenus pertractati diligenter inspexeris, multum iuvabis te ad istius sciencie perfectionem acquirendam.

Capitulum sextum. De virtutibus ymaginum, et cuius maneriei possunt haberi, et quomodo ymagine possunt recipere vim planetarum, et quomodo opera fiunt per ymagine; et hec est radix scienciarum nigromancie et ymaginum.

Et scias quod istud quod dicitur virtus est id quod natura et experimento comprobatur. Si illud agens quod in ipsa virtute agit habuerit naturam in illo opere manifestam, et maxime ut talis operacio sit virtutem habens in ipsis rebus, non natura manifesta quam habeat in eis, tunc opus illud erit forcius et magis apparens, et quod ex eo effectualiter apparebit veracius et magis cognitum. Et hoc est quemadmodum virtus scammonie que coleram virtute propria attrahit, et hoc propter convenienciam quam colera secum habet in caliditate et siccitate, quibus assimilatur colere nature. Et patet eciam in medicinis simplicibus que, quando aliquid operantur virtute et similitudine natura existentibus in eis, tunc illa operacio esset manifestior, veracior et magis apparens. Et isto modo ymagine operantur virtute et similitudine quia ymago nihil aliud est quam vis corporum celestium in corporibus influencium. Et ideo quando materia ipsius corporis fuerit disposita ad recipiendum influenciam ipsorum corporum celestium seu planetarum et ipsa corpora sive planete fuerint similiter disposita ad influendum in ipsis materialibus ymaginis corporibus, tunc ipsa ymago erit forcior et magis disposita ad omnes effectus quos ex ipsa petimus et optamus; et similiter datum planete perfectius erit et magis completum. Exemplum: quando volueris ordinare facere ymaginem, considera rem et formam pro qua ipsam ymaginem facere volueris necnon et materiam qua ipsam construere volueris et ordinare. Et facias quod predicta omnia in similitudine ad invicem concordentur; et similia sint encia viribus et influenciis planete ipsi operi dominantis. Que cum sic fuerint ordinata, erit ymago valida et completa, et eius sequetur effectus et patefiet, et eius spiritus ex quo ipsa ymago componitur apparebit effectum. Et tunc opus illius planete manifestabitur tibi quemadmodum fuerit, et modus recepcionis (scilicet cuius maneriei fuerit) manifestabitur et apparebit. Homines enim in quocumque tempore facientes ymagine et ignorantes predicta male faciunt. Et ideo cum volueris facere aliquod animal ex animalibus vel aliquam posituram arborum componere vel aliquid facere in operibus lapidum, primo accipias partes composicionis ipsarum et partibus que sunt sue maneriei eas adiungas; misceantur enim et incorporentur illi rei mixtura condecienti. Et sic operaberis quousque tuum negocium impleatur. Et quousque hoc feceris, natura non desinit operari in ipso effectum; et stelle similiter ipsum effectum augent et crescunt quousque finem debitum consequantur, quemadmodum multimode fiunt encia et operantur tam in tincturis quam in animalibus que homines propria industria facere possunt vivencia, ut sunt reptilia, serpentes, scorpiones et multa eis similia que fiunt composicionibus et congruis operibus disposicionibus nature

et viribus planetarum, et similiter opera que fiunt decoctionibus et mixturis specierum, ex quibus convenientes medicine fiunt rebus necessariis et opportunis, quemadmodum est decoctio virilis spermatis in matrice, in qua quidem decoquitur quousque redeat ad dispositionem convenientem essencie illius creature; tunc natura suum opus operatur et planete eciam viribus propriis quousque illud opus proprio ordine adimpletur. Et eodem modo est in mineris et aqua ex quibus lapides componuntur; quia primo est aqua clara, et postea venti decurrunt super eam, ipsam verberando et percuciendo quousque sit in similitudine coagulati lactis, et postea decoquitur a natura minere et naturis erga ipsam existentibus, tandemque coquendo coagulatur et assimilatur lapidi ipsi minere convenienti et illius minere formam recipit et figuram. Et per hunc modum materia arboris fit et ordinatur in omnibus rebus in terra nascentibus tali modo. Et similiter fiunt: primo putrescit materia tandem ad redeundum ex dispositione qua fieri possit arbor illa que generari debet. Et recipit formam et figuram sibi convenientem ad complementum sue forme; et talem formam et complementum recipit ex nutritione humiditatis recepta ab ipsa materia putrefactionis tempore acquisita. Isto vero modo sunt omnia que magisterio fiunt, quoniam primo auferri debet forma et figura que in illa materia primitus existebant. Et cum res illa talem perdiderit figuram, tunc ad aliam formam recipiendum et figuram disposita erit; et nulla materia formam et figuram aliam recipere potest nisi perdendo formam et figuram que in ea primitus existebant. Et per hunc modum omnes magistri qui aliqua opera intendunt facere operantur et taliter agendo procedunt. Primo accipiunt partes ex quibus illa res quam intendunt facere componitur, et ipsis operantur quousque redeant ad ipsam partem compositam materialem et dispositam ad recipiendum aliam formam. Et isto modo videmus operari magistrum facientem fermentum, et idem operatur ille qui facit caseum et butirum et alia opera que ex lacte seu melle sunt composita; et similiter faciunt magistri filantes bombicem et omnes alii magistri cetera magisteria operantes, qui unum in alterum convertunt taliter et transformant. Et hoc accidit propter quod aliqua materia formam habens et figuram non potest aliam formam recipere nisi primam perdat et amittat; et sic materia disposita ad recipiendum formam secundam tunc recipit ipsam. Et quando materia aliquam formam recipit et formatur eadem, est libera et expedita ab omnibus aliis formis preterquam ab illa. Et hoc non dicimus nisi propter materias hic inferius existentes; sed in mundo superiori est materia formata formis durabilibus in ea que ab ipsa numquam separari possunt, nec illa materia potest formas capere alias. Et intelligas quod opus ymaginum est istius maneriei quia constructores ymaginum primo aspiciunt in recolligendo res ex quibus ipsa ymago construitur, que sint disposite et convenientes ad recipiendum ipsam formam, quemadmodum videmus in baccis lauri que iuvant et subveniunt veneno colubrorum et quemadmodum videmus ex ipso croco a quo scorpiones fugiunt; et vespe que fugiunt ab acerbis et amaribus rebus et diligunt et inquirunt aquam rosaceam necnon et recolliguntur odore herbe vocate thymus; et multarum aliarum istius maneriei existencium, sicut sperma et virtus coitus maris cum femina ex comestione cicerum et aliarum multarum rerum huic operi appropriatarum augetur et crescit. Et sic corpus ymaginis fuerit compositum ex multis rebus simul adiunctis, ex quarum adiunctione efficitur eius forma disposita ad recipiendum vires et potencias rerum pro quibus ymago ipsa efficitur et creatur.

Et hoc modo phisici operantur in componendo medicinas quando intendunt ad sanandum dolores et infirmitates quia opus phisice cum medicinis ex maneriebus duabus consistit. Quarum una est opus cum medicinis simplicibus; et hoc opus est opus boni et perfecti medici secundum quod Iohannicius ¶ in Phisica sua dicit: quod semper et quandocumque cum simplicibus medicinis te poteris iuvare, numquam compositis medicinis sis operatus. Secunda vero est operatio medicinarum multarum compositarum dispositarum operibus unius medicine; et per hunc modum fiunt electuaria et tyriaca maior Galieni, que multarum medicinarum existit ordinata.

Et dico tibi quod unus planeta facit diversos effectus et ad invicem separatos, sicut ignis facit in decoctione mellis quod, quando decoquitur debite et equaliter, recipit saporem bonum, imo meliorem primo; et si nimis decoquitur, forte comburitur et malum recipit saporem. Et sic accidit in planetis quando in gradibus lucidis et tenebrosis consistunt. Et celum habet duos effectus, quorum unus est motus et naturalis effectus, alter vero est calor accidentalis qui ex motu generatur; et per consequens calor fit ex motu, et motus fit ex celo. Et hoc dictum est veridicum et manifestum. Sed illud quod apparet ad sensum est quod motus fit ex motu et spiritu octave spere sive celi signorum; et hoc propter vires stellarum fixarum, quapropter veraciter apparet quod calor sequitur motum, et motus sequitur vires et fortitudines stellarum fixarum. Et virtus stellarum fixarum est prima compositio non habens ante se aliam prioritatem.

Et similiter intelligas de omnibus partibus et motibus celi et caloribus nascentibus ex eo. Et effectus stellarum hoc modo consequuntur effectus celi secundum quod celum producit effectus suos una cum ipsis stellis, et stelle non faciunt effectus suos nisi per celum sive a celo eo quod ipse stelle nullum motum habent in semetipsis, sed ipse habent opera et effectus mirabiles secundum motum celi. Et materia prima est natura prima, et est ipse conditor veritatis; et opera stellarum sunt secundum vestes et tincturas quas facimus. Ideo illud est nobilius et alcius alio. Et gradus celi nullam proprietatem habent nisi quod sunt positi et ymaginati quia non est in celo pars agens et non agens; imo est totum unum in forma, posse et opere et sensu absque aliqua diversitate vel differentia in suis partibus. Et quia totum est unius materie, ideo nullam diversitatem in aliqua suarum qualitatatum tempore aliquo potest habere.

Et nullo modo esse potest aliquis gradus celi sive firmamenti carens qualitate et essencia stellarum fixarum propter quod ipsum celum stellarum fixarum totum est ex eis repletum. Et illi qui dicunt quod talis gradus celi est stellis in tempore denudatus non dicunt nisi quod ipse visu vel sensu percipi non possunt quoniam non nisi maiores ex eis videntur cum non sint maneriei qua possint discerni per visum. Et secundum hoc contingere potest quod stella sit in aliquo loco ubi non facit aliquod opus manifestum, videlicet ut non sit in suo termino vel exaltacione, auge vel opposito augis, retrograda vel directa (nisi eundo ad aliquem supradictorum locorum), nec eciam habeat aliquod iuvamen vel aspectum cum aliquo planetarum eidem nature conveniencium nec a suis contrariis, quia ista loca maxime eciam que sunt agencia et habent effectus contrarios locis agencibus stellarum fixarum sunt similia locis nullam operacionem habentibus quia planete numquam in celo sunt motu carentes et ideo non possunt effectibus carere. Et hoc quod in isto loco sumus locuti est valde obscurum et profundum. Et ideo advertas et cogites diligenter in eo quousque intelligas cum effectu quemadmodum subiungitur quia planete,

postquam sunt forciores in suis operibus, duobus modis operantur, videlicet in generali et particulari. Et effectus generalis est qui non opponitur uni parti manifeste; effectus vero particularis est qui opponitur uni parti manifeste. Et secundum hoc (dicunt) talis planeta est dator vel habet aspectum vel colligacionem aut recepcionem et similia.

Exemplum ad idem: quando cibus est in stomacho et trahitur ab epate, eundo per mesaraicas, convertitur velut sanguis; et quando ab epate mittitur ad alia membra, fit in similitudinibus aliorum membrorum quemadmodum diversificantur. Et sic in quolibet membro ad similitudinem eius perdit et amittit similitudinem sanguinis ac si numquam habuisset, et fit ossa in ossibus et etiam in nervis nervi; et idem fit in ceteris membris. Et similes sunt effectus planetarum in suis motibus, qui, quando vadunt versus aliquem aspectum, coniunctionem vel ad aliquem locum ex dictis, vadit se convertendo secundum naturam et operationem illius loci ad quem vadit. Et similiter planete habent alios effectus nobiles ut subiungitur, quod, quando planeta fuerit in auge, operatur secundum operationem stelle super ipsum existentis directe, et associatur secum in effectibus; et tunc facit mirabilia. Et etiam quando est in opposito augis operatur secundum planetam sub eo existentem. Idcirco advertas bene et peroptime ad ea que diximus in hoc loco. Quod propter hoc dicimus: quod celum stellarum fixarum operatur secundum operationes et effectus primi mobilis, et celum Lune influit et operatur secundum opera nature ignis et aeris plus quam alie nature suis subtilitatibus. Et secundum hoc dicimus de Saturno quod quando est in sua auge facit effectus stellarum fixarum super eum existentium, et quando est in opposito augis facit effectus Iovis. Et idem aliis dicimus in planetis, scilicet quod quando planeta fuerit in auge sua erunt effectus eius et opera sua secundum opera et effectus planete supra eum in ordine existentis, et cum fuerit in opposito augis operabitur secundum operationes planete sub eo in ordine existentis. Et hec ratio multum in arte magica appreciatur. Et sapientes antiqui predicta totis viribus celavere; et si non explanaremus ea, esset indecens omnino. Et firmiter teneas quod planeta qui in motibus suis gravius incedit est forcior in suis effectibus, et e converso levior planeta in motu debilior est in opere, et medius in motu medius est in effectu. Et in hac sententia sapientes antiqui non sunt communiter concordati, quia aliqui dixerunt diversa et contrarium, qui dixerunt quod planeta tardior in suo motu est debilior in effectu et levior in motu est forcior in effectu. Quorum ratio talis est: quod accipiunt predicta secundum ordinem et dispositionem primi mobilis ad speram stellarum fixarum; et aliorum ratio est secundum dispositiones motuum generacionis in terra, secundum quod planeta ponderosior forcior erit in effectu et levior motu debilior in effectu. Et secundum opinionem aliam nunc tactam de dispositione primi mobilis ad speram stellarum fixarum erit planeta levior in motu forcior in effectu et gravior in motu debilior in effectu quia est proporcio similis. Et in hoc sapientes in tantum sunt discordati quod una pars sapientum antiquorum tenebat contrarium, hanc similitudinem ponentes et eam attribuentes primo mobili et spere stellarum fixarum; et secundum hoc planeta ponderosior erit propior et magis conveniens in similitudine ipsi primo mobili necnon et spere stellarum fixarum in sui tarditate propter quod est gravis in motu, et sic erit motus tardus similis motui tardo et levis levi. Et circa predicta multum sapientes antiqui in suis libris dixerunt secrete et occulte; et nunc hic

intendimus dicere secreta sapientum artis magice antiquorum. Scias quod, quando Luna erit iuncta Saturno, erit opus eius secundum opera Saturni. Et hoc contingit quia opera Saturni sunt forciora operibus Lune quemadmodum est in omnibus planetis cum Saturno ad invicem colligatis, quorum effectus erunt secundum dispositiones et effectus Saturni. Et hoc est propter quod potencia Saturni est fortissima virium omnium planetarum; et hoc contingit rationibus et causis superius nominatis, que sunt propter eius supremam altitudinem et propinquitatem celorum alciorum, utputa primi mobilis et spere stellarum fixarum. Et quia est multum tardus, incessus assimilatur primo mobili et aliis qualitibus superius nominatis secundum predicta existentibus. Et omnia que loquuntur in istis coniunctionibus Iovis, Solis et Veneris, [qui] quando miscentur cum effectibus Saturni, mutantur vel alterantur mutacionibus vel alteracionibus magnis. Et eodem modo accidit Iovi cum stellis fixis, et generaliter omnibus quousque deveneris ad Lunam. Et subsequenter effectus istarum stellarum fixarum apparet in igne et aere, et effectus ignis et aeris patet in aqua et terra; effectus quoque istorum 4 elementorum in generacionibus que generantur ex ipsis patenter apparent. Et quorumlibet duorum planetarum coniunctio potest habere tres qualitates in eorum coniunctione, videlicet augmenti, diminucionis et equalitatis ad invicem, quemadmodum in Luna iuncta Saturno erit opus Lune debile et absconsum. Hoc est quod virtus Saturni ipsius Lune virtutem excedit, scilicet cum fuerit eidem iuncta in eodem gradu longitudinis et latitudinis in suo haye et exaltacionibus et qualitibus similibus eidem ita ut sint Luna et Saturnus in uno tramite et in uno istorum locorum, nec aliter. Et sic qualitas Saturni et aliorum planetarum est in aliis locis. Et bene posset contingere quod effectus Lune et eius virtus esset maior et forcior virtute Saturni; et hoc cum Luna fuerit in locis altis supradictis et Saturnus fuerit in contrariis eorundem. Quod si Luna fuerit iuncta Saturno in locis contrariis supradictis nobilibus locis, tunc opus Lune erit sequens opera Saturni quemadmodum in aliis qualitibus supradictis; et si fuerit Saturnus in illis altis locis et Luna in eisdem contrariis, opus Lune erit multum debile et extinctum. Et si fuerit Luna equalis in motu vel tarda in eo et in aliis locis similibus istis, tunc erit virtus Lune et Saturni equalis et similis in virtute; et quanto magis <si> Luna appropinquabit augi sue, que est maior elevacio que possit esse in Luna (et tamen talis elevacio non equatur maiori depressioni ipsius Saturni), quanto magis si Saturnus fuerit directe progressurus. Sed qualitas Saturni cum Iove non est ut qualitas Saturni cum Luna, sed semper aut in pluribus erunt equales. Et hoc est: quando Saturnus et Iupiter erunt elevati, tunc opus Iovis forcius erit opere Saturni; et si fuerit Iupiter elevatus et Saturnus equalis in motu, directus et in exaltacione, tunc opus ipsius Iovis non erit supra Saturni opus elevatum; sed cum fuerit e contrario, tunc erit virtus Saturni supra Iovem et ipsius Iovis virtus erit debilis et remissa. Nec hoc apparet in qualitibus Saturni cum Marte quando ad invicem coniunguntur; erunt enim opera Martis manifestius apparencia nisi forte fuerit in qualitibus et dispositionibus superius tactis. Sed Venus et Mercurius habent dispositiones et similitudines cum quolibet planetarum, et Luna similitudinem non habet et convenienciam quia Luna cum planetis nullam hoc contingit rationibus et causis superius nominatis, que sunt propter eius supremam altitudinem et propinquitatem celorum alciorum, utputa primi mobilis et spere stellarum fixarum. Et quia est multum tardus, incessus

assimilatur primo mobili et aliis qualitatibus superius nominatis secundum predicta existentibus. Et omnia que loquuntur in istis coniunctionibus Iovis, Solis et Veneris, [qui] quando miscentur cum effectibus Saturni, mutantur vel alterantur mutacionibus vel alteracionibus magnis. Et eodem modo accidit Iovi cum stellis fixis, et generaliter omnibus quousque deveneris ad Lunam. Et subsequenter effectus istarum stellarum fixarum apparet in igne et aere, et effectus ignis et aeris patet in aqua et terra; effectus quoque istorum 4 elementorum in generacionibus que generantur ex ipsis patenter apparent. Et quorumlibet duorum planetarum coniunctio potest habere tres qualitates in eorum coniunctione, videlicet augmenti, diminucionis et equalitatis ad invicem, quemadmodum in Luna iuncta Saturno erit opus Lune debile et absconsum. Hoc est quod virtus Saturni ipsius Lune virtutem excedit, scilicet cum fuerit eidem iuncta in eodem gradu longitudinis et latitudinis in suo haye et exaltacionibus et qualitatibus similibus eidem ita ut sint Luna et Saturnus in uno tramite et in uno istorum locorum, nec aliter. Et sic qualitas Saturni et aliorum planetarum est in aliis locis. Et bene posset contingere quod effectus Lune et eius virtus esset maior et forcior virtute Saturni; et hoc cum Luna fuerit in locis altis supradictis et Saturnus fuerit in contrariis eorundem. Quod si Luna fuerit iuncta Saturno in locis contrariis supradictis nobilibus locis, tunc opus Lune erit sequens opera Saturni quemadmodum in aliis qualitatibus supradictis; et si fuerit Saturnus in illis altis locis et Luna in eisdem contrariis, opus Lune erit multum debile et extinctum. Et si fuerit Luna equalis in motu vel tarda in eo et in aliis locis similibus istis, tunc erit virtus Lune et Saturni equalis et similis in virtute; et quanto magis <si> Luna appropinquabit augi sue, que est maior elevacio que possit esse in Luna (et tamen talis elevacio non equatur maiori depressioni ipsius Saturni), quanto magis si Saturnus fuerit directe progressurus. Sed qualitas Saturni cum Iove non est ut qualitas Saturni cum Luna, sed semper aut in pluribus erunt equales. Et hoc est: quando Saturnus et Iupiter erunt elevati, tunc opus Iovis forcius erit opere Saturni; et si fuerit Iupiter elevatus et Saturnus equalis in motu, directus et in exaltacione, tunc opus ipsius Iovis non erit supra Saturni opus elevatum; sed cum fuerit e contrario, tunc erit virtus Saturni supra Iovem et ipsius Iovis virtus erit debilis et remissa. Nec hoc apparet in qualitatibus Saturni cum Marte quando ad invicem coniunguntur; erunt enim opera Martis manifestius apparencia nisi forte fuerit in qualitatibus et disposicionibus superius tactis. Sed Venus et Mercurius habent disposiciones et similitudines cum quolibet planetarum, et Luna similitudinem non habet et convenienciam quia Luna cum planetis nullam similitudinem nec convenienciam habet. Et ista est quedam radix magna, custodienda multum et valde necessaria in operibus magicis. Debes autem scire quod opera planetarum sunt opera per se; et hoc propter quod sunt corpora simplicia. Et que sunt simplicia nullum accidens vel corrupcionem aliquam recipere possunt quoniam, si ea que sunt simplicia aliquam reciperent corrupcionem, inveniri non possent, sed detrimentum et corrupcio non possunt accidere nisi in corporibus ex diversis rebus compositis. Et scias quod opus primi mobilis est opus perfectum et est radix omnium operacionum celorum planetarum et stellarum fixarum; et hoc propter quod est virtus et fortitudo motus movendi alios celos. Et propter hoc dicunt quod ipsum est motor omnium, nec in se est mobile quicquam; et qui dicerent ipsum in se esse mobile resisterent veritati. Sed celum stellarum

fixarum, maxime quod eius motus est generalis, est separatum secundum motum primi mobilis; et idem contingit omnibus aliis speris. Et scias quod motus cuiuslibet celi cum motu sperarum et stellarum fixarum est motus equalis omnibus eis, et motus planetarum est propter motum essencialem suorum celorum quibus moventur quia stelle nullum motum habent in seipsis nisi per accidens. Et ideo effectus celi est duplex quemadmodum diximus; et est motus quem habet ex se et calor quem habet ex accidenti. Postquam calor sequitur motum et motus est naturalis ipsi celo quemadmodum diximus, deinde est datum et infusiones planetarum, quod adpetitum in ymaginibus est, movere res et fortitudines et eas reducere ut sint manifeste, quia in forma est similitudo rerum et in materia est vis recipiendi eas. Et quelibet materia habet formam pro qualibet complexione, et quelibet forma habet materiam cuiuslibet complexionis. Exemplum ad predicta: ignis enim cum fuerit parvus et creverit quousque magnus efficiatur, sic crescit et augetur quia ignis in modica quantitate existens attrahit a materia in qua comburendo agit ignem et quod est in ea absconsum quousque patefacit eum, et ex hoc augmentatur et crescit.

Et scias quod corruptio non ingreditur res apparentes eas damnando; imo ingreditur res non apparentes et eas corrumpit non apparenter. Omnia vero que sunt secundum naturam sunt equalia et contra naturam existencia inequalia sunt. Et propter hoc calor apparens naturaliter movet calorem absconsum, et similiter calor absconsum manifestato calore movetur; et hoc quia calor absconsum est dispositio suorum effectuum; sic est generatio sui ipsius. Has autem rationes intelligas diligenter; nam proficuum extrahes ex eis.

Capitulum septimum. De modo serviendi dialectice in istis scienciis ymaginum, et quam partem ipsius oporteat in ista sciencia.

Ex his autem que per nos hactenus dicta sunt satis evidententer apparent forme receptionis ad eius materiam et datum influencie planetarum in ymaginibus et receptio suarum virium necnon et forma similitudinis et diversitatis, quoniam similitudo est ex manerie adiunctionis in effectibus ymaginum; et hoc propter quod opus ymaginis indiget similitudine effectuum stellarum et opere metalli ex quo ymago componitur tempore in quo fit ipsa et loco in quo talis ymago funditur et paratur. Quibus omnibus insimul adiunctis et in propria similitudine appropriatis, erit ipsius ymaginis effectus; quod si diversificarentur in aliquo, ymago ipsa deficeret in effectum. Et ex hoc apparet quod coadunatio est quedam radix maxima ad effectus artis magice acquirendos.

Et similiter quantitas est radix istius sciencie eo quod ipsa in quadrivio operatur. Secundum suam primam divisionem dividitur in duas partes, que quidem partes sunt ipsa quantitas continua et discreta. Quantitas vero continua dividitur in partes quinque, que sunt linea, superficies, corpus, tempus et locus; et quantitas discreta dividitur in duas partes, videlicet numerum et verbum. Omnes vero ipsius quantitatis partes multum sunt magicis operibus opportune, quemadmodum linea est necessaria in ymagine ratione aspectuum et simbolitatis que ab ipsa ymagine requiruntur erga illud quod querimus recipere effectum ymaginis similitudine vel dissimilitudine. Que quidem due partes ex quibus in hoc loco divisimus lineam ipsam

secundum aspectum et convenienciam quemadmodum diximus est secundum quod dicitur in quadrivio, capitulo de linea recta, in quo sic dicitur: quod linea recta est inter duo puncta posita in directo unius ad alterum. Et hoc dictum est magis completum omnibus aliis dictis ymaginum eo quod linea recta super quam vadit res disposita uno tramite et modo a principio primi puncti lineae per cetera alia discurrendo quousque attingat ad alium in directum eius positum. Qua de causa dicimus quod talis est in directo talis; et hoc erit quando habuerit aliqua obviancia illi rei que suo cursu per lineam rectam defluat et decurrat – verbi gracia, punctualis proiectio radiorum planetarum que directe influit in puncto existente in superficie corporis dispositi ad recipiendum projectiones talium radiorum. Causa autem quare istud est perfectius in ymaginibus est propter datum stellarum quod queritur in effectu ymaginis. Et eciam est proiectio radiorum conveniens ingrediendi ipsum metallum vel rem ex qua componitur ymago pro complendo illum effectum pro quo efficitur et ordinatur ipsa ymago contrario vel similitudine. Quamobrem directe apparet quod linea exiens a planeta in ipsam ymaginis formam debet necessario esse recta ut datum sit integrum et completum, quod non esset dicta linea obliqua existente; imo esset debile et diminutum. Superficies autem ex vi est figura dati; et hoc quia superficies est extensio effectus ymaginis in locum ipsum. Deinde quando extenditur, necessario fit superficies; omne enim quod extenditur in extremo subtilitatis est superficies. Qua de causa aqua in se ipsa mutatur et alteratur cum effectu quemadmodum mutatur calore, frigiditate, lumine, odore, coloribus et aliis similibus istis. Et id supra quod vadunt lineae infuse a planetis in ymaginibus et he que ab ipsa ymagine proveniunt ad locum faciunt superficiem. Idcirco ista secreta intelligas et addiscas. Causam autem quare taliter operentur antiqui sapientes nondum in patulo posuere.

Tempus quidem est necessarium et congruum in operibus ymaginum eo quod sequitur motus corporis quemadmodum explanabo et dividam effectum ymaginis in seipsum. Et dividitur tempus per partes in effectibus ymaginum, deinde tempus aspectuum secundum locum in quo est datum et influencia illius effectus si volueris ut compleatur anne id quod est ex partibus declinationum planetarum. Et hoc est aspicere tempus planete in hora debita et competenti, et scire coniunctiones quas habet cum aliquo planetarum existente secum coniuncto in uno gradu, vel sit in aliquo alio aspectu tam oppositionis quam quarti, trini et aliorum aspectuum. Et alia que huic operi sunt necessaria consideranda ex locis planetarum efficiencium effectus tam completos quam incompletos secundum modum et formam operandi sic discernere oportebit, videlicet: an planeta sit directus vel descendens vel in sua exaltacione, vel in quo loco erit datum planete vel in quo loco amputatur secundum fortunas vel infortunas, necnon et quando fuerit planeta in gradibus lucidis et puteis et tenebrosis, et aliis que in astronomia dicta sunt. Et hoc est secretum maximum valde in magice doctrina secundum istum modum diversitatis, ut dicunt, in similitudine et contrarietate. Et hoc est tempus aspiciendi cuius modi erit ille effectus dati, et illud est tempus quod aspicere debemus in preparacione ymaginum predictarum in loco in quo preparari debent et res similes rebus similibus ipsius temporis.

Locus autem est ultimum membrum divisionis supradicte quantitatis continue. Et est locus aspectus ad hoc, ut sit levitas operandi quousque ad optatum finem in opportuno tempore attingat. Et locus ymaginis necnon et

ipsius apparatus in aere vel in terra celandi vel manifestandi et aliis similibus (et hec sunt loca in quibus ymagines construuntur) et locus in quo illam materiam ex qua ymago illa fieri debet disponunt et laborant, quia omnia sunt in operibus magicis consideratione digna, quia propter considerationem omnium predictorum erit datum et effectus planetarum et complebuntur magis effectus et mirabiles qui sunt graves credendi opinionibus auditorum. Amen. Dico tibi quod vere dici potest de natura miraculorum et mirabilium effectuum (et isti sunt effectus ymaginum), et maxime quia earum effectus non sunt in similitudine effectuum animalium; imo sunt quemadmodum extirpacio arenarum et mundacio lapidum, sequestracio mortalitatis, diluviorum et nubium, mutacio ventorum et similia supradictis, que hic non sunt recitanda propter inconvenienciam sermonis prolixi.

Sed verba et numeri qui sunt ex materia quantitatis discrete sunt necessaria in divinacionibus, auguriis et somniorum interpretacionibus et loquencibus in populo et in similibus; nam et ista in unam ex maneriebus ingrediuntur artis nigromancie. Sed quantitas per se est necessaria in istis operibus et opportuna eo quod retinet tempus, quod quidem non est nisi computacio motus celorum. Quod, quando dicimus: a tali tempore usque ad tale tempus, veraciter apparet quod dicimus aliquem numerum ad computacionem; qui numerus, quando eundem locum attingit, tunc perficitur in computacione. Item cum dixerimus quod: talis operacio erit ab hac hora usque ad 42 dies, hoc dicto apparet quod dicere voluimus aliquam numeri computacionem.

Proporcio autem modum istius sciencie ingreditur propter quod est forma ymaginis. Et locus ipsius effectus est qui recipit virtutem et potenciam quam dicunt esse factorem in ymagine. Et pro maiori parte sunt ingressi in modum proporcionis et figuram preparandi ymagines in loco in quo preparari debet ista qualitas. Et hoc totum ingreditur maneriem proporcionis, et alia aliarum qualitatium his similia ingrediuntur hanc maneriem proporcionis.

Sed qualitas per se est causa in effectibus ymaginis eo quod res que est composita effectuum ymaginis debet habere virtutem et potenciam completam similem illius effectus ipsiusque qualitatis que componi debet in ipsa ymagine ad apparenciam illius virtutis et effectus in ipsa ymagine petiti. Et hec est aptacio et mixtio quam debet habere ab alciorum naturis in inferioribus naturis impressis taliter ut hec res composita dato planetarum assimiletur et recepioni quam debet habere ad complementum ipsius effectus petitionis quem in hoc libro sepe narravimus, quod planete magis participant in uno quam in alio quemadmodum appropriatur aliquis planeta uni civitati, tali nature arborum, animalium, lapidum et aliis eisdem similibus. Ideo cum fuerit lapis ille qui compositus est in alia re composita et ad recipiendum effectus illius planete disposita vel eciam similetur ei in recepione effectus illius planete, necnon et eius natura que est composita in ea sit similis effectui et recepioni illius planete sic operantis. Et eodem modo debet esse lapis ille vel illud ex quo ymago extitit composita, eo quod natura lapidis vel alterius rei ex qua fit ymago fortis et robusta ut in se ipsa fortificetur omnino quousque nature victoriam attingat; et tunc manifestatur et eius effectus extenditur. Et illi qui in hac sciencia fideliter laboraverunt non invenerunt viam qua ad predicta pervenire possent nisi ad naturam lapidis vel illius alterius rei eiusdem qualitatis vel aliarum qualitatium similiarum eidem attingat quousque roboretur eius natura taliter quod superet et vincat omnes alias naturas quemadmodum accidit in electuariis et tyriaca que viribus propriis obtinet et vincit. Et talis

victoria accidit ex vi multarum medicinarum existencium in eisdem eo quod propter coniunctionem medicinarum insimul multa mirabilia fiunt quemadmodum phisica et opus maius et alia opera naturalia sicut ymagines et diversio mortalitatis et opera lapidum ad invicem. Et semper dicta sapientis memorie commenda, dicentis quod in omnibus operibus et effectibus tuis aspicias benevolenciam et res se ad invicem diligentes, et avertas a diversitatibus et a rebus se odio habentibus et que natura sunt ad invicem resistentes.

Capitulum octavum. De ordinacionibus rerum naturalium, et quomodo possunt ingredi in hanc scienciam.

Ordinem vero quem sapientes antiqui posuerunt in gradibus naturarum non fuere nisi hac via perquisiti quousque scivere ordinem et naturam specierum et earum gubernacionem et omnium aliarum rerum. Deinde composuere species ad invicem quousque medicinarum utilitatem cognovere et effectus quos facere possunt earum adiunctione insimul. Nec possumus unum necessarium hic sub silencio portare, quod est discordacio sapientum antiquorum ad invicem in naturis simplicibus quales et quante sunt. Quorum pars quedam, quam veraciorem esse credo, dicit quod nature simplices sunt matres et priores omnibus aliis, que quidem nature sunt 4: frigiditas, humiditas, siccitas et caliditas, que qualitates prime et simplices sunt veraciter nuncupate. Deinde sequuntur predictas alie nature composite que sunt iste: calidum, frigidum, humidum et siccum. Id quod nos dicimus calidum exprimitur quod materia est iuncta cum calido, et idem in aliis est intelligendum. Et bene apparet ex hoc dicto – scilicet cum dicimus calidum vel frigidum – quod non est simile huic dicto cum dicimus calorem vel frigiditatem, et hoc modo cum in aliis hoc sumus locuti. Deinde sequitur istam materiam compositam alia secunda composita quam appellamus calidam et siccam vel calidam et humidam, frigidam et siccam vel frigidam et humidam, que sunt 2 nature composite. Et patet bene quod iste non sunt equales aliis de quibus sumus locuti, scilicet calidum absque sicco et humido et frigidum absque sicco et humido. Tercio vero sequuntur alie nature composite, videlicet ignis, aer, aqua et terra, que sunt tercię nature composite ex primis et secundis qualitatibus coadunate. Deinde istas naturas sequuntur alie nature composite in 4 ordine situate, videlicet que sunt in corporibus que in multis partibus dividuntur – scilicet in quatuor anni temporibus ut sunt hyems, ver, autumnus et estas, et in quatuor humoribus tam in hominibus quam in aliis animalibus situatis, videlicet sanguis, flegma, colera et melancolia. Sed materia hominis est magis delicata et subtilior omnibus aliis materiis animalium eo quod ipsorum animalium nature sunt grossiores et multo magis turbide ipsa hominis natura. Sed nature in arboribus et plantis ex terra nascentibus existentes, sicuti sunt oleum, tinctura, semina, radices et similia, sunt tercię in ipsis; et huiusmodi in naturis lapidum sunt qualitates. Et que fuimus hactenus locuti, est intelligendum; id quod diximus in arboribus et lapidibus, est equale id quod narravimus in hominibus et animalibus hoc modo, quod arbores sunt in subtilitate nature secundum alia animalia. Et iterum sequuntur ista res magisterio composite, et sunt que dicimus esse composite ex compositis et sunt ultime composite; et iste sunt veluti medicine et alia huiusmodi composita. Omnia vero in quibus nature simplicium et

compositarum constant dividuntur in septem partes, que postea usque ad 28 partes perveniunt extendendo. Et volo hic exemplificare ad idem propter secundam ut patefaciamus id quod divisum est in prima explanacione quemadmodum in hoc exemplo.

Dico quod nature simplices sunt caliditas, frigiditas, humiditas et siccitas; et prime nature composite sunt calidum, frigidum, humidum et siccum; et secunde nature composite sunt calidum et siccum, calidum et humidum, frigidum et siccum, frigidum et humidum; et tercie nature composite sunt ipsa elementa, utputa ignis, aer, aqua et terra; et quarte nature composite sunt tempora anni, scilicet ver, hyems, estas et autumnus; et quinte nature composite sunt quatuor humores, scilicet sanguis, colera, flegma et melancolia; et sexte nature composite sunt tincture, oleum, radices et semina; et similia.

Qua de causa dico quod caliditas, frigiditas, humiditas et siccitas sunt similes igni, aeri, aque et terre, in multis partibus eorum sensu et sensibilitate divise. Dicunt enim ignem esse calidum eo quod est calidus et siccus, nec dicunt propter calorem talem quod est ignis, nec quod est compositum igne vel aliquo alio, quia omne compositum est simul adiunctum ex rebus precedentibus eos et nominatis in ipsis, et quod taliter sit compositum ut calor precedat ignem, humiditas aerem, frigiditas aquam et siccitas terram. Sed hoc dictum tamquam exemplum ponimus in predictis; et hoc modo dicitur in epate, pulmone, felle, corde, capite, tibiis, manibus et omnibus aliis membris. Et calor, ut prediximus, fit ex motu celi, frigiditas ex centro ipsius generatur (utputa terra que centrum primi mobilis nuncupatur), ex quo materie terrestres dant omnes generaciones in omnibus materiebus; et frigiditas taliter contrariatur ipsi calori in omnibus suis qualitatibus necessario, quietudine et motibus, quia caliditas est qualitas similia coniungens dividensque contraria. Et hoc modo dicimus quod contraria frigiditate iunguntur, et eadem similia dividuntur. Et sic debet esse in his que omnibus suis qualitatibus opponuntur; quod si non fuerit eorum definitio, leditur et damnatur.


Idcirco tibi dico quod, si volueris operari in istis altis et nobilibus scienciis et gravibus intellectu, quod nullo modo parcas studio nec piger sis in studendo dicta et libros sapientum quia isto tramite quod volueris attinges. Et cetera que hactenus sum locutus in rebus mixtis et adiunctis tam sapientum dictis quam scienciarum omnium extractis non dixi nisi ad explanacionem et disposicionem tui spiritus et intellectus, ut te benevolum, docilem et attentum reddam in predictis.

Capitulum nonum. De demonstracionibus figurarum et formis ymaginum que fiunt auxilio planetarum.

Nunc autem ad raciones antedictas, quando locuti fuimus in figuris celi et in effectibus suis quos faciunt auxilio et influenciis stellarum, redire propono. Et dico quod sex ymagine, de quibus inferius sumus principaliter tractaturi, habent virtutes, potencias et effectus in mundo. Et hoc in loco dicere intendo et nominare istas figuras, videlicet id quod ex suis actibus est expertum et ex suis effectibus, secundum quod sapientes antiqui in hoc laborantes sunt ad invicem concordati.

Quarum prima est ad fugandum mures ex quocumque loco volueris. Scribas istas figuras in lamina eris rubei, prima facie Leonis ascendente, que

figure sunt adiuncte ex stellis fixis in Leonis signo existentibus. Et cum hoc feceris, ponas ipsam laminam in loco murium; et fugient omnes ab eodem

loco et recedent. Et he sunt figure: 


Ad retrahendum bibiones. Facias subsequentes figuras in lapide sulfureo, secunda facie Tauri ascendente, quem lapidem ponas in loco quo volueris. Nec bibiones ad ipsum locum umquam venire poterunt quousque lapis

steterit ibi. Et he sunt figure: 

Ad fugandum muscas ex quocumque loco volueris. Figurabis istas figuras in lamina stanni, tertia facie Scorpionis ascendente, quam laminam ponas in quocumque loco volueris. Et musce ab eodem loco recedent. Et he sunt figure

stellarum que separant: 


Ut homo quem volueris currendo veniat ad te vel ad locum quem volueris. Facias istas figuras in panno lineo, quas in die Veneris et hora eius facias, secunda facie Tauri ascendente, Venere ibidem existente; ipsaque hora scribes nomen illius quem volueris ad te venire. Deinde accendas caput ipsius panni linei igne. Et statim veniet ad te quem proposuisti. Et he sunt figure:



Ad inimiciam ponendam. Cum volueris divertere duos homines ut numquam se ad invicem diligant, facias infrascriptas figuras cum dente canis nigri in lamina plumbi nigri in die et hora Saturni, tertia facie Capricorni ascendente, Saturno ibidem existente; ponasque laminam in loco alterius eorum vel in loco in quo solent simul adunari. Et dissolvetur eorum amicitia, et numquam se diligant. Et he sunt figure:



Ad infortunandum locum quem volueris ut numquam populetur. Facias istas figuras in lamina plumbea cum cerebro porci in die et hora Saturni, ascendente secunda facie Capricorni et Saturno in ea existente; et ponas laminam in loco quem volueris depopulari. Et virtus mala Saturni infundetur in eo, et numquam populabitur quousque lamina steterit ibidem. Et he sunt

figure: 

Omnes autem sex operationes predictae fiunt virtute planete sive planetarum quando predictis constellationibus corporaliter fuerint coniuncti. Et scias quod figure que fiunt auxilio stellarum fixarum non sunt nisi iste sex, nec aliquis sapientum fuit in pluribus locutus. Qua de causa in isto libro in hac sciencia complete ponere decrevi.

Capitulum decimum. De lapidibus appropriatis cuilibet planete et formacionibus figurarum.

In hac vero parte patefacere intendo id quod quilibet planeta habet tam in metallis et lapidibus quam in figuris planetarum et suis operationibus admirandis.

Et primo de Saturno. Saturnus enim ex metallis habet ferrum et partem in auro, ex lapidibus quoque diamantem et aliaza, camaffes et azebehe, que est nigra et clara, et ferus et almagnicie<m> et partem in lapidibus rubeis et in

marchasita aurea necnon et in sedina.

Iupiter ex metallis habet plumbum, et ex lapidibus preciosis albos et croceos et partem in alaquech et in smaragdo et in almehe et in cristallo et in omnibus lapidibus albis et claris et lucentibus necnon et in auro.

Mars ex metallis habet es rubeum et omnes maneries sulfuris et habet partem in vitro, et ex lapidibus habet premonada et lapidem sanguinis et partem habet in alaquech et in aliaza necnon et in omnibus lapidibus rubeis et maculis guttatis.

Sol ex metallis habet vitrum Egipti et azernech, et habet ex lapidibus albezedi et diamantem et conchas rubeas et omnes lapides lucentes et claros et partem in sedina et in azumbedich et rubino et in balasso et in marchasita aurea.

Venus ex metallis habet es rubeum et partem in argento et vitro, et ex lapidibus azurum et corallum et dehenech et habet partem in almehe et in almagnicie.

Mercurius ex metallis habet argentum vivum et partem in stanno et vitro, et ex lapidibus habet smaragdum cum omnibus suis speciebus et habet partem in azumbedich.

Luna ex metallis habet argentum, et ex lapidibus marchasitam argenteam et aliofar minutum et partem habet in cristallo et azuro et in aliaza et in almehe.

He sunt figure septem planetarum:

Saturni Iovis Martis Solis Veneris Mercurii Lune



He sunt figure planetarum quemadmodum translatas invenimus in Lapidario Mercurii et in libro Beylus et in Libro spirituum et ymaginum quem transtulit sapiens Picatrix.

Forma Saturni secundum opinionem sapientis Picatricis est forma hominis corvinum vultum et cameli pedes habentis et super cathedram sedentis, in dextra manu hastam habentis, in sinistra vero lanceam vel dardum tenentis. Et hec est eius forma.

Forma Saturni secundum opinionem sapientis Beylus ☐est forma hominis senis super altam cathedram sedentis erecti. Et hec est eius forma.

Forma Saturni secundum opinionem sapientis Mercurii est forma hominis erecti, suas manus supra caput ipsius erigentis et in eis pisces tenentis et infra eius pedes similem unius lagari<i> (id est racani) habentis. Et hec est eius forma.

Forma Saturni secundum opinionem aliorum sapientum est forma hominis super draconem erecti, in dextra manu falcem tenentis, in sinistra vero hastam habentis, et nigris pannis et pardis induti. Et hec est eius forma.

Forma Iovis secundum opinionem Beylus ☐est forma hominis super aquilam sedentis et in uno panno involuti, et pedes supra lumbos aquile, et caput panni in quo involvitur sua dextra tenentis. Et hec est eius forma.

Forma Iovis secundum opinionem Picatricis est forma hominis leoninum vultum et pedes avis habentis, et infra eius pedes tenentis draconem vii capita habentem, et in eius dextra dardum habentis ac si ipsum proicere vellet in caput draconis. Et hec est eius forma.

Forma Iovis secundum opinionem Mercurii est forma hominis cooperti

cum uno linteamine, equitantis super draconem et in eius manu lanceam vel dardum tenentis. Et hec est eius forma.

Forma Iovis secundum opinionem aliorum sapientum est forma hominis super aquilam equitantis, pannum in sua dextra tenentis, in sinistra vero nuces habentis; et omnia eius vestimenta sunt crocea. Et hec est eius forma.

Forma Martis secundum opinionem sapientis Beylus ☐est forma hominis coronati et ensem scriptum in dextra habentis. Et hec est eius forma.

Forma Martis secundum opinionem Mercurii est forma hominis nudi, in pedibus erecti et ex dextra eius ante se virginem formosam in pedibus stantem tenentis, que est forma Veneris; et eius capilli retro aptati; et Mars ponens eius dextram super suum collum et super eius pectus sinistram extendendo; et cum eius vultu aspicientis se et intuentis. Et hic sapiens dicit quod hec figura magnas potencias habet et opera magna valde; et de ea Deo dante erimus in posterum locuti. Et hec est eius forma.

Forma Martis secundum opinionem aliorum sapientum est forma hominis supra leonem equitantis, in dextra ensem habentis, in sinistra vero caput hominis gestantis; et eius vestes sunt ex loricis et ferro. Et hec est eius forma.

Forma Solis secundum opinionem sapientis Beylus ☐est forma mulieris in pedibus elevate et existentis supra currum a quatuor equis tractum, speculum in dextra tenentis, in sinistra vero baculum supra pectus ligatum, et supra caput ipsius similitudinem flamme habentis. Et hec est eius forma.

Forma Solis secundum opinionem Mercurii est forma hominis in pedibus erecti similis volenti salutare illos quos videt, et in eius sinistra manu clipeum tenentis, et sub pedibus eius figuram draconis habentis. Et hec est eius forma.

Forma Solis secundum opinionem Picatricis est forma regis in cathedra sedentis et in eius capite coronam habentis, et formam corvi ante ipsum habentis et sub eius pedibus figuram Solis quam antediximus. Et hec est eius forma.

Forma Solis secundum opinionem aliorum sapientum est forma baronis erecti supra currum qui a quatuor equis trahitur, et in dextra eius speculum tenentis, in sinistra vero clipeum; et omnes vestes eius sunt crocee. Et hec est eius forma.

Forma Veneris secundum sapientem Beylus ☐est forma mulieris in pedibus erecte et in eius dextra manu malum habentis. Et hec est eius forma.

Forma Veneris secundum opinionem sapientis Picatricis est forma mulieris tenentis in eius dextra manu malum et in sinistra pectinem similem tabule et istis figuris scriptum: OΛOIOΛ. Et hec est eius forma.

Forma Veneris secundum opinionem sapientis Mercurii est forma habens corpus hominis et vultum et caput avis, pedes vero aquile. Et hec est eius forma.

Forma Veneris secundum opinionem Ptolomei est forma mulieris nude et ante eius collum formam Martis cum una cathena habentis. Et hec est eius forma.

Forma Veneris secundum opinionem aliorum sapientum est forma mulieris cum capillis expansis et supra cervum equitantis, et in eius manu dextra malum habentis, in sinistra vero flores; et eius vestes ex coloribus albe. Et hec est eius forma.

Forma Mercurii secundum opinionem sapientis Beylus ☐est forma iuvenis barbati et in manu dardum tenentis. Et hec est eius forma.

Forma Mercurii secundum opinionem sapientis Mercurii est forma

hominis in eius capite gallum habentis, et supra cathedram erecti; et eius pedes similes pedibus aquile; et in palma sinistre manus ignem habentis, et sub pedibus signa que inferius dicentur. Et hec est eius forma.

Forma Mercurii secundum opinionem Picatricis est forma hominis erecti, et in dextro eius latere alas extensas habentis, et in sinistro gallum parvum tenentis, et in manu dextra dardum, in sinistra vero concham rotundam tenentis, et in capite medio cristam galli. Et hec est eius forma.

Forma Mercurii secundum opinionem aliorum sapientum est forma baronis coronati, equitantis supra pavonem, in eius dextra calamum, in sinistra vero cartam habentis; et eius vestes sunt omnium colorum mixte. Et hec est eius forma.

Forma Lune secundum opinionem Mercurii est forma mulieris formosum vultum habentis, cincte dracone, et cornua in capite habentis duobus colubris circumvoluta, et super eius caput duos colubros et in quolibet brachio unum colubrum circumvolutum, et super eius caput unum draconem et alium draconem sub eius pedibus; et quilibet istorum draconum septem habet capita. Et hec est eius forma.

Forma Lune secundum opinionem Beylus E est forma mulieris supra duos tauros erecte, quorum caput unius sit iuxta caudam alterius. Et hec est eius forma.

Forma Lune secundum opinionem sapientis Picatricis est forma hominis supra caput avem habentis, et supra baculum se sustentantis, et ante se arborem habentis. Et hec est eius forma.

Forma Lune secundum opinionem aliorum sapientum est forma iuvenis coronati et supra currum a quatuor equis pertractum erecti; et in eius dextera unum cayadum, in sinistra vero speculum; et omnes eius vestes virides sunt et albe. Et hec est eius forma.

Quelibet autem istarum figurarum superius nominatarum tam Solis quam aliorum planetarum habet potencias et effectus mirabiles in magicis operibus, quos in hoc libro, Domino concedente, explanabimus.

He vero sunt forme quemadmodum sapientes antiqui in libris suis posuerunt, scilicet illi qui in hac sciencia se intromiserunt. Et quelibet istarum formarum mirabiles habet effectus et maximas virtutes. Et nunc dicere intendo de effectibus et suis virtutibus.

Ymago Saturni ad multum bibendum. Si ex operibus Saturni feceris hominis formam super altam cathedram elevati, et in eius capite pannum lineum lutosum et in eius manu falcem habentis, in hora Saturni, ipso in ascendente existente, in lapide de feyrizech, virtus istius ymaginis est quod qui ipsam secum portaverit multum potabit et non nisi in senectute morietur.

Et si volueris inter aliquos discordiam ponere, facias ex operibus Saturni istas figuras in eius hora, ipso in ascendente existente, in diamante:



Si enim cum ista ymagine sigillaveris picem et hoc sigillum in loco duorum amicorum vel in loco alterius eorum posueris, odient se ad invicem. Et caveas ne hanc ymaginem portes tecum omnino.

Forma Iovis. Si ex operibus Iovis formam hominis coronati feceris et supra cathedram sedentis, ipsaque ymagine quatuor pedes habente; et quilibet pedum supra collum hominis, et omnes isti quatuor homines habeant alas, et homo qui sedet in cathedra elevet manus quemadmodum faciunt orantes; et hoc in hora Iovis, ipso in ascendente et in sua exaltacione existente; ipsamque facies in lapide claro et albo. Et qui hanc ymaginem secum portaverit in

divitiis augebitur et honore, et optimam vitam deducet, et multos filios habebit, et quod voluerit adimplebit, et omnia sua opera in quibus fuerit operatus ad bonum tendent, nec inimicus ei nocere poterit.

Et si ab officialibus et iudicibus volueris diligi, facias ex operibus Iovis formam hominis formosi cum vestimentis amplis supra aquilam equitantis in hora Iovis in ascendente et in sua exaltacione existentis in lapide cristalli. Qui vero hanc ymaginem secum portaverit ab officialibus et iudicibus diligitur.


Quod si prohibere conceptionem mulieris volueris et aves capere desideras, facias ex operibus Iovis formam vulturis in hora Iovis, prima facie Sagittarii ascendente, Iove in ea existente, in lapide qui dicitur <...> qui facit leviter parere. Et si lapidem hunc venator avium secum portaverit, aves circa eum congregabuntur, et capiet ex eis quantum voluerit. Amabitur eciam ab hominibus et bene recipietur. Et hic lapis quem diximus trahit ad rubeum in eius colore; et quando manibus agitatur intus eum sonat alius lapis; et quando politur aqua alba exit ab eo. Et si hunc lapidem supra mulierem posueris, numquam concipiet quousque supra eam steterit.

Et dixit Hermes: qui in hoc lapide ymaginem vulpis fecerit in die et hora Veneris, ascendente Pisce; et Iupiter in eo; et Luna eundem aspiciente – qui ymaginem hanc tenuerit timebitur ab hominibus et a diabolis. ☐


Et qui in hoc lapide fecerit formam gruis in hora Iovis, ipso in sua exaltacione existente – qui hanc ymaginem in aliquo liquore lavaverit ipsumque in potu alicui dederit videbit spiritus, et ex eis quod voluerit operabitur. Et has duas virtutes dixit Hermes.

Ymago Martis ut facias quod volueris tam in bono quam in malo. Facias ex formis Martis formam hominis supra leonem equitantis et in eius dextra nudum ensem tenentis et in sinistra caput hominis gestantis in hora Martis, secunda facie Arietis ascendente et Marte in ea existente, in lapide diamantis. Qui hunc lapidem gestaverit, tam in bono quam in malo potens erit, sed potencior in malo.

Et si volueris ut ex tuo aspectu timeatur vel terreatur, ex forma Martis facias formam hominis erecti et lorica induti, duos enses tenentis, unum scilicet iacentem supra collum et alterum nudum in eius dextra, et in sinistra caput hominis, in hora Martis in sua domo existentis, in aliquo ex lapidibus Martis. Et quicumque lapidem portaverit, omnes eum videntes timebunt, et nullus accedet ad eum.

Ad sanguinem restringendum ex quocumque loco volueris. Facias ex operibus Martis formam leonis et ante se istas figuras sive signa: , et hoc in hora Martis, secunda facie Scorpionis ascendente; et predicta facias in aliaza. Qui hanc ymaginem secum portaverit cui sanguis ex aliquo corporis loco decurrerit statim restringetur.

Ymago Solis. Si volueris ut rex omnes alios reges superet et vincat, facias ex formis Solis formam regis supra cathedram sedentis, et in sui capite coronam habentis et corvum ante se et infra eius pedes istas figuras:

 in lapide rubini vel balassi, Sole existente in sua exaltacione. Rex autem qui hunc lapidem portaverit omnes alios reges vincet eidem oppositos. Si volueris ut quis non vincatur, sed adimpleat quod incepit, nec somnia vana videat, facias ex formis Solis formam leonis et supra eum quatuor figuras predictas, ascendente Leone et Sole ibidem existente; et infortune sint cadentes ab eis nec aspicientes ea; et hoc in lapide rubini. Et qui ymaginem

hanc secum portavent numquam vincetur ab aliquo, et quod incepit deducet ad finem eciam ut diximus.

Si ex formis Solis ymaginem mulieris supra currum quatuor equis tractum sedentis feceris et in eius dextra speculum, in sinistra vero baculum tenentis, et supra eius caput septem candelabra, in lapide adamantis, Sole in sua exaltacione existente, qui hanc ymaginem secum portaverit, omnes videntes eum et obviantes timebunt eum.

Si ex formis Solis infrascriptas figuras in lapide sedina feceris, prima Leonis facie ascendente, Sole ibidem existente, qui hanc ymaginem secum portaverit ab infirmitatibus lunaticis que e combustione Lune veniunt securus erit.

IG4300

Ymago Veneris.

Si ex formis Veneris feceris formam mulieris cuius corpus sit humanum, caput vero avis necnon et pedes aquile, in dextra manu malum, in sinistra vero pectinem tenentis ligneum similem tabule talibus figuris scriptum: OΛOIOΛ, qui hanc ymaginem secum portaverit bene recipietur et ab omnibus diligitur.


Si ex formis Veneris formam mulieris feceris in eius dextra malum tenentis, in sinistra vero pectinem, in lapide albo, prima facie Libre ascendente, qui hanc ymaginem supra se habuerit sive portaverit ridens erit semper et alacer.

Si ex formis Veneris formam puelle nude feceris, in eius collo catenam circa eam tenentis, et iuxta eam hominem habentis, retro vero formam pueri parvi ensem elevantis, in hora Veneris, in lapide lazuli, qui hanc ymaginem secum portaverit a mulieribus diligitur et quod voluerit faciet.

Si ex formis Veneris figuram serpentis feceris, et supra eam figuram tarantule, et ante eam figuram aque surgentis, et hoc in lapide cristalli vel berilli, Iove existente in sua exaltacione, qui hunc lapidem secum portaverit a serpentibus non percucietur; et qui hanc ymaginem in liquore aliquo lavaverit ipsumque in potu offenso dederit, statim liberabitur.

Si ex formis Veneris feceris infrascriptas figuras in hora Veneris:

DOX  (et in quodam alio libro inveni istas alias figuras:

DE X ; tamen facias quas facere volueris), omnes pueri te diligunt et sequentur.

Si ex formis Veneris feceris formam mulieris sedentis et alas habentis, eius capillos retro duabus triciis attractos et in sinu suo duos pueros habentis, in hora Veneris in sua exaltacione existentis, in lapide almehe, qui hunc lapidem portaverit leviter et sine damno caminabit.

Si ex formis Veneris formam trium personarum ad invicem coniunctarum in hora Veneris et in lapide cristalli feceris, qui hanc formam secum portaverit erit in mercimoniis fortunatus et in eis lucrabitur.

Si ex formis Veneris feceris formas duorum muscipulorum et unius muris

in hora Veneris, et ipsa Venere in ascendente, in lapide coralli, ubi predictam formam posueris nullus mus remanebit.

Si ex formis Veneris feceris formam musce volantis in hora Veneris, et ipsa in ascendente, in lapide alaquech, ubi hec ymago fuerit nulla musca remanebit.

Si ex formis Veneris feceris formam unius sanguisuge in lapide dehenech, et hoc ex una parte lapidis, et ex alia parte facias duas sanguisugas, et cuiuslibet earum caput ad caudam alterius tenentis, et hoc in hora Veneris, ipsa in ascendente existente, si sigillaveris cum hac ymagine ceram vel aliquid aliud et ipsum sigillum proieceris quo volueris, scilicet in loco ipsarum sanguisugarum, nulla earum remanebit in loco illo.

Si ex formis Veneris formam mulieris erecte in lapide cristalli feceris et ante ipsam formam idoli similiter elevati in hora Veneris, ipsa in ascendente existente, qui hanc ymaginem secum portaverit a mulieribus diligetur.

Si ex formis Veneris formam mulieris in pedibus elevate feceris et in eius femore similitudinem capillorum habentis, et in eius manu similitudinem carte involute tenentis, in alia vero manu malum habentis, et hoc in hora Veneris, ipsa in ascendente existente, in lapide alaquech, si cum hac ymagine sigillaveris ceram et ipsam in cibo pueris dederis, a masseda liberabuntur.

Si ex formis Veneris in lapide alaquech feceris caput azeberi, supra quod feceris caput musce et caput simile pauci adiunctamenti (id est, quod sit parva coopertura in ipso capite), et hoc in hora Veneris, ipsa Venere existente in ascendente, et si cum hac ymagine sigillaveris ceram, valebit omnibus infirmitatibus stomachi.

Ymago Mercurii. Si ex formis Mercurii feceris formam baronis supra sellam sedentis et supra eius caput gallum habentis; et ipsius pedes sint ut pedes aquile; et in eius sinistra similitudinem ignis habentis et infra pedes hec signa:



et hoc in hora Mercurii sub ascendente eius exaltacionis, et ipso in eo existente, et hoc fiat in lapide smaragdi, et si quis carceratus hunc lapidem secum portaverit, a carceribus liberabitur.

Si ex operibus Mercurii, ipso in ascendente, hec signa feceris in eius hora, in lapide smaragdi, hunc lapidem deferens a scribis et notariis et omnibus



mercurialibus servietur:

Si ex operibus Mercurii figuram unius rane feceris in hora Mercurii, et ipso in ascendente, et hoc in lapide smaragdi, hunc lapidem deferens a nemine offendetur; imo quilibet de eo bonum loquetur et de omnibus eius operibus bonum dicet.


Si ex operibus Mercurii formam leonis in lapide smaragdi feceris et aliam formam in forma capitis leonis in hora Mercurii, ascendente signo Geminorum, Mercurio vero ibidem existente, et supra caput ipsius scribas unum a, inferius vero ipsius capitis unum d, qui hanc ymaginem secum habuerit ab infirmitatibus evadet et timebitur et de eo bene dicetur.

Si ex operibus Mercurii feceris formam scorpionis in lapide smaragdi in ipsius hora et ipso in ascendente, si qua mulier pregnans hanc ymaginem supra se portaverit, leviter pariet et sine periculo tam sui quam creature.


Si ex operibus Mercurii feceris formam manus hominis balancias tenentis in hora Mercurii, ipso in ascendente, in lapide marmoreo, si cum ipsa ymagine


sigillaveris ceram vel aliud congruum sigillando et ipsi infirmo dederis, a quocumque genere februm liberabitur cito; et hoc expertum est contra febres.

Ymago Lune. Si ex formis Lune feceris formam hominis caput avis habentis, et se supra baculum sustentantis, et in eius manu similitudinem arboris floride habentis, in hora Lune sub ascensione eius exaltacionis, ipsa in ea existente, qui hanc ymaginem secum detulerit numquam in itinere erit fessus undecumque vadat.


Si ex formis Lune feceris hec signa in lapide lazuli, in hora Lune, ipsa in ascendente, si hanc ymaginem in aliquo liquore lavaveris et duobus vel pluribus hominibus in potu dederis, multum se diligent nec ab invicem poterunt separari: .

Si ex operibus Lune feceris formam mulieris capillos sparsos habentis et retro protractos, supra duos tauros erecte, unum ex pedibus supra caput unius et alium pedem supra caput alterius tenentis, et hoc in lapide cristalli, et ex alia parte lapidis facias figuram mulieris elevate, et in eius capite similitudinem corone habentis, et in eius dextra baculum, et scribas in eius circuitu hec signa:

, ipsamque facias in hora Lune et ipsa in ascendente, et si cum hac ymagine ceram sigillaveris ipsumque sigillum in columbario posueris, multe columbe ibidem congregabuntur.

Si ex operibus Lune formam leonis caput hominis habentis feceris et supra eius spinam hoc signum: , in hora Lune, ipsa in ascendente, et hoc in lapide lazuli, cum hac ymagine liberabis pueros ab omnibus infirmitatibus eis advenientibus.

Et si ex operibus Lune figuram colubri feceris et supra eius caput hec signa:

, in hora Lune, ipsa in ascendente, in lapide bezahar vel in lapide dehenech viridi, in quocumque loco hec figura fuerit numquam coluber neque serpens ad illum venient.

Si ex operibus Lune feceris ista signa in hora Lune, ipsa in ascendente, in lapide smaragdi, et si cum hoc lapide sigillaveris incensum ipsumque sigillum dederis homini, bonam memoriam habebit et retentivam scienciarum:



He sunt ymagines proprie cuiuslibet planete.

Et primo de Saturno. Facias in hora Saturni, tercia facie Aquarii ascendente, ipso ibidem existente, ymaginem ad sanandum lapidem et dolorem virge et ad retinendum sanguinem sive menstrua mulierum.

De Iove. Facias in hora Iovis, secunda facie Sagittarii ascendente, Iove ibidem existente et a Sole aspecto, ymaginem ad prohibendum nimiam pluviam et ad retrahendum eius damna.

De Marte. In hora Martis, prima facie Scorpionis ascendente, facias ymaginem ad fortificandum timidum et ad humiliandum iram regis et ad retrahendum damna latronum, luporum et ferarum bestiarum et omnium male faciencium.

De Sole. In hora Solis ad auferendum cogitaciones malas et ad sanandum infirmitates epatis et stomachi facias ymaginem prima facie Leonis ascendente et Sole ibidem commorante; et hec ymago valet ad ea que diximus et eciam ad antiquas infirmitates sanandas.

De Venere. In hora Veneris, prima facie Piscium ascendente ipsaque

ibidem existente, ymaginem facias ad sanandas mulieres ex infirmitatibus vulve, et ad letificandum hominem tristem, et ad curandam melancoliam, et ad auferendas cogitationes malas et habendum potenciam et augmentum multum in coitu; et in prima facie Tauri fiunt ymagine magnorum et mirabilium effectuum amoris et ad habendam hominis benevolentiam. De Mercurio. In hora Mercurii, prima facie Geminorum ascendente, facias ymaginem ad acuendam memoriam et intellectum in scienciis et sapienciis et gratiam ab hominibus acquirendam. De Luna. In hora Lune, prima facie Cancri ascendente et ipsa in ea existente, facias ymaginem ad crescendas messes et arbores et omnia que in terra nascuntur.

Capitulum undecimum. De figuris facierum signorum et suis effectibus.

Sapientes antiqui qui in hac sciencia sunt locuti multa dixerunt et multis rationibus comprobarunt, que si omnia narrare vellemus, nimis longum esset et diffusum, et deviamus a nostro proposito. Sed dicamus ex suis rationibus que sunt necessarie et sine quibus esse in nostro proposito non possumus. Et ego docebo te qui in hac sciencia studere intendis quod studeas in ea tuo proficuo cum voluntate iuvandi te ex ea, et nemini reveles. Scienciam autem spirituum sapientes non habuerunt nec ad ipsam attigerunt nisi cum magna difficultate, studio et labore; et attigerunt ad id quod potuerunt ex ea, tamen ab omnibus sollicitudinibus et curis mundi quietati prius et remoti, et in ea continuis studiis studuerunt bonis intellectibus et memoriis quas habebant. Per bonum vero intellectum et memoriam spiritus fortificatur et sensus, et sciencie profunde intelliguntur iuxta quas homo habet meliorem sensum discernendi et verificandi ea in quibus non omnes provenerunt. Et veritatem discernere dicencium propter bonam memoriam et intellectum accidit et contingit; quapropter sapientes dixerunt quod est quedam credulitatis species, et quod totum est claritas spiritus rationabilis et datum virtutis roboracionis rerum cum claritate suorum tramitum. Et claritas spiritus rationabilis est agilitas et dispositio sue recepcionis rerum quas recipere querit et ex quibus peticio fit levis. Idcirco est intellectus vigorosus, agens et fortis, et iudicium contra opus debile. Exemplum fortis et debilis istius maneriei tale est, quod forte agit leviter agenda et sine magno labore, et debile recipit alteracionem leviter et cito, quemadmodum habens bonum intellectum et memoriam intelligit sciencias leviter et in modico tempore addiscit quod intelligere sit propter naturalem sensum et studium et intuitum in rebus. Et huiusmodi bona receptio fit et apprehensio acuitate spiritus quousque in modico tempore obtineat quod petit. Hic autem intellectus et agilitas sive dispositio extrahitur ab acuitate ignis, qui velociter in suis effectibus agit, necnon et ab acuitate Solis, qui aeris partes disgregat et in sui hora illuminat et clarescit. Et huiusmodi est acuitas intellectus qui propter acuitatem et sui claritatem disgregat petitum et inquit cum omnibus suis partibus quousque certitudinaliter intendit et in modico tempore intelligit eum quemadmodum est. Et ideo quanto magis ipse intellectus acucior est, tanto levius et leviter intelligit petitum et quecumque eidem presentantur. Et hoc totum est necessarium ad intelligendum in hoc loco.

Nota quod quodlibet duodecim signorum in tres partes equales dividitur, et quelibet divisio facies nuncupatur. Et in qualibet illarum facierum sunt

ymagines, forme et figure quemadmodum sapientes Indi dixerunt, et unaqueque dictarum facierum alicui 7 planetarum appropriatur. Que facies dividuntur et distribuuntur secundum situm et ordinem planetarum, ab alciori incipiendo usque ad infimum per ordinem procedendo, deinde ad alciolem redeundo quemadmodum explanabo. Et primo de Ariete, cuius prima facies attribuitur Marti, secunda Soli qui sequitur eum in ordine, tertia Veneri que ipsum Solem sequitur; et prima Tauri Mercurio, et sic proceditur per ordinem planetarum usque ad finem signorum. Que quidem facies naturas et formas habent convenientes formis et naturis suorum dominorum; et hic dicere proponimus formas ascendentes in qualibet istarum facierum ut sequitur.

Prima facies Arietis est Martis, et ascendit in ea secundum opinionem magni sapientis istius sciencie forma hominis nigri, inquieti et magni corporis, rubeos oculos habentis et in eius manu ascionem incidentem tenentis, panno albo precincti; et est magni precii in se. Et hec facies est fortitudinis, altitudinis et precii absque verecundia. Et hec est eius forma. Et ascendit in secunda facie Arietis mulier viridibus pannis induta et una tibia carens. Et hec facies est altitudinis, nobilitatis, precii et regni. Et hec est eius forma.

Et in tertia facie Arietis ascendit vir inquietus, in manibus auream armillam tenens et pannis rubeis indutus, cupiens facere bonum et non potest. Et hec facies est subtilitatis et subtilium magisteriorum et rerum novarum et instrumentorum et istis similium. Et hec est eius forma.

Et ascendit in prima facie Tauri mulier crispis capillis, unicum filium habens pannis similibus igni indutum, ac eciam ipsa similibus pannis induta. Et hec facies est arandi et laborandi terram, scienciarum, geometrie et seminandi et fabricandi. Et hec est eius forma.

Et ascendit in secunda facie Tauri vir similis figure cameli, et in eius digitis ungulas habens similes vaccinis, et ipse totus coopertus linteamine fracto; et vult laborare terram, seminare et fabricare. Et hec facies est nobilitatis, potencie et premiandi populum. Et hec est eius forma.

Et ascendit in tertia facie Tauri vir rubei coloris, dentibus albis et magnis extra os apparentibus, et corpore similis elephantis, cuius tibie longe; et ascendit secum unus equus, unus canis et unus vitulus. Et hec facies est nequicie, paupertatis et miserie et metus. Et hec est eius forma.

Et ascendit in prima facie Geminorum mulier formosa, magistra suendi; et cum ea ascendunt duo vituli et duo equi. Et hec facies est scribanie, computi et numeri, et dandi et accipiendi et scienciarum. Et hec est eius forma.

Et ascendit in secunda facie Geminorum vir cuius vultus est similis aquile, et eius caput panno linteo opertum; lorica plumbea indutus et munitus, et in eius capite galeam ferream, supra quam est corona serica, et in eius manu balistam et sagittas habens. Et hec est facies pressure necnon et malorum, subtilitatum. Et hec est eius forma.

Et ascendit in tertia facie Geminorum vir lorica indutus, habens balistam et sagittas et pharetram. Et hec facies est audacie, probitatis, divisionis laborum et consolacionum. Et hec est eius forma.

Et ascendit in prima facie Cancri vir habens digitos et caput tortuosos et obliquos; et eius corpus est simile corpori equi; et pedes albos habens et supra eius corpus folia ficuum. Et hec facies est documenti, sciencie, amoris, subtilitatis et magisteriorum. Et hec est eius forma.

Et ascendit in secunda facie Cancri mulier formosa vultu, et in eius capite myrtili viridis coronam habens, et in eius manu perticam arboris que dicitur nenufar, et ipsa cantilenas amoris et leticie cantans. Et hec facies est ludorum, diviciarum, gaudii et abundancie. Et hec est eius forma.

Et ascendit in tertia facie Cancri celhafa, et in eius manu colubrum, et ante se cathenas aureas habens. Et hec facies est currendi et equitandi et acquirendi bello, lite et contrarietate. Et hec est eius forma.

Et ascendit in prima facie Leonis vir sordidis vestibibus indutus; et ascendit cum eo figura domini equi aspicientis contra septentrionem; et eius figura assimilatur figure urse et figure canis. Et hec facies est fortitudinis, liberalitatis et victorie. Et hec est eius forma.

Et ascendit in secunda facie Leonis vir in suo capite coronam albi myrtili habens et in eius manu balistam. Et hec facies est pulchritudinis, equitandi et ascendendi hominis nescii et vilis; et est facies belli et ensium nudorum. Et hec est eius forma.

Et ascendit in tertia facie Leonis vir senex et niger et turpis, fructus et carnes in eius ore tenens et in eius manu urceum ereum tenens. Et hec facies est amoris et dilectionis, ferculorum et salutis. Et hec est eius forma.

Et ascendit in prima facie Virginis puella virgo linteo laneo veteri cooperta, et in eius manu malum granatum tenens. Et hec facies est seminandi, arandi, germinandi arbores, colligendi uvas et bone vite. Et hec est eius forma.

Et ascendit in secunda facie Virginis vir pulchri coloris, corio indutus, et supra vestimentum corii aliud vestimentum ferreum. Et hec facies est petitionum, desideriorum et lucri, tributi et denegandi iusta. Et hec est eius forma.

Et ascendit in tertia facie Virginis vir albus, magni corporis, albo linteamine involutus; et secum mulier tenens in manu eius oleum nigrum. Et hec facies est debilitatis, senectutis, infirmitatis, pigricie, damnamenti membrorum et destruendi populum. Et hec est eius forma.

Et ascendit in prima facie Libre vir in eius dextra lanceam tenens, in sinistra vero avem pedibus pendentem. Et hec facies est iusticie, veritatis, bonorum iudiciorum, complementi iusticie populi et debilium personarum, bonum indigentibus faciendi. Et hec est eius forma.

Et ascendit in secunda facie Libre vir niger, sponse et gaudii iter habens. Et hec facies est quietis, gaudii, abundancie et bone vite. Et hec est eius forma.

Et ascendit in tertia facie Libre vir equitans supra asinum, et ante se lupus. Et hec facies est malorum operum, sodomitarum, adulterii, cantorum, gaudii et saporum. Et hec est eius forma.

Et ascendit in prima facie Scorpionis vir in eius dextra lanceam, in sinistra vero caput hominis tenens. Et hec facies est dispositionis, tristicie, male voluntatis et inimicie. Et hec est eius forma.

Et ascendit in secunda facie Scorpionis vir equitans supra camelum, in eius manu tenens scorpionem. Et hec facies est sciencie, verecundie, dispositionis et male loquentis unius ad alterum. Et hec est eius forma.

Et ascendit in tertia facie Scorpionis equus et lepus secum. Et hec facies est malorum operum et saporum et coniungendi se mulieribus vi et ipsis invitis. Et hec est eius forma.

Et ascendit in prima facie Sagittarii tria corpora hominum, quorum unum est croceum, aliud album, tertium vero rubeum. Et hec facies est caloris, liberamenti, fructificandi in campis et ortis, sustinendi et separandi. Et hec est

eius forma.

Et ascendit in secunda facie Sagittarii vir ducens vaccas et ante ipsum habens simiam et ursum. Et hec facies est metus, lamentacionis, luctus, doloris et miserie et inquietudinis. Et hec est eius forma.

Et ascendit in tercia facie Sagittarii vir capellum in capite tenens occidensque alium hominem. Et hec facies est malarum voluntatum, adversorum et malorum effectuum et levitatis in eisdem et malis voluntatibus, inimicie, dispersionis et male agendi. Et hec est eius forma.

Et ascendit in prima facie Capricorni vir in manu dextra arundinem tenens, in sinistra vero upupam. Et hec facies est leticie, gaudii et dispergendi negocia pigricia, debilitate ac malis incessibus. Et hec est eius forma.

Et ascendit in secunda facie Capricorni vir ante se mediam simiam habens. Et hec facies est petendi ea que nullo modo esse possunt nec aliquis ad ea attingere prevalet. Et hec est eius forma.

Et ascendit in tercia facie Capricorni vir tenens librum ipsumque aperiendo et claudendo, et ante ipsum caudam piscis habens. Et hec facies est diviciarum, accumulacionis pecunie et cumulandi et ascendendi negocia ad bonum finem tendencia. Et hec est eius forma.

Et ascendit in prima facie Aquarii vir caput curtum habens et in eius manu pavonem tenens. Et hec facies est miserie, paupertatis et analecte. Et hec est eius forma.

Et ascendit in secunda facie Aquarii vir similis regi qui se multum licetur et abhorret quos videt. Et hec facies est pulchritudinis et posture, habendi quod querit, complementi, detrimenti et debilitatis. Et hec est eius forma.

Et ascendit in tercia facie Aquarii vir habens caput curtum et mulierem senem habens secum. Et hec facies est abundancie, complementi voluntatis et affrontacionis. Et hec est eius forma.

Et ascendit in prima facie Piscium vir duo corpora habens et similis ac si salutaret suis manibus. Et hec facies est pacis et humilitatis, debilitatis, multorum itinerum, miserie, inquirendi divicias, miserandi victus. Et hec est eius forma.

Et ascendit in secunda facie Piscium vir ex adverso secundum caput deorsum habens, et pedes sursum in altum elevatos, et in eius manu fercula comedendi. Et hec facies est magnitudinis precii et fortis voluntatis in rebus altis, gravatis et preciatis, et cogitandi. Et hec est eius forma.

Et ascendit in tercia facie Piscium vir tristis et malarum cogitacionum, in decepcionibus et prodicionibus cogitando; et ante se mulier et asinus ascendendo super eam, et in eius manu avis. Et hec facies est ascensionis et iacendi cum mulieribus appetitu magno, quietudinem et requiem inquirendi. Et hec est eius forma.

Et scias quod in predictis faciebus signorum est maximum secretum et proficuum valde que intelligi non potest nisi a multum studentibus in arte astronomie et qui in ea bonum intellectum habeant, acutum et subtilem extrahendi radices et subtilia profunda. Et hoc est quod unus planeta alterius planete effectus potest impedire; et forcior est potencia termini potencia faciei, et potencia faciei forcior est potencia domus. Et ex naturalibus unum ingreditur super aliud, velut aqua que extinguit calorem ignis et ignis qui aufert frigiditatem aque, et aqua que siccitatem terre mollificat et humectat et terra que humiditatem desiccatur aque. Et hoc est: quando naturalia ad invicem iunguntur et sunt pura, forcius vincit et obtinet. Et si naturalia debilia fuerint

multa ad invicem copulata, forciores eis devincere possunt. Et si fuerint equalia in suis potenciis et effectibus, id opus et effectus erit ipsis naturis mixtum. Et si fuerit una natura multum abundans et a proprio situ remota, suam perfectionem diminuit et damnat quemadmodum quando sanitas est in suo potissimo esse tunc generatur infirmitas, et quando completur fructus tempus est recolligendi et ipsum ab arboribus amputandi, et ut colubra parva magnas colubras mactat et occidit, et ut vermes parvi et minuti quando insimul coadunantur occidunt colubram, et maxime cum debiliores et debilitatiores in naturis suis erunt. Tu autem diligenter aspicias in predictis. Et proprietates istarum facierum sunt ut aspicias id quod necessario aspicere oportet in quolibet planetarum de operibus et corporibus. Sed quando aliquam figurarum supra in faciebus nominatarum feceris, hoc facias in corpore convenienti planete in ipsa facie dominanti; tunc erit opus illud quod dicimus – videlicet, si fecerimus illam figuram ipso planeta in ipsa facie existente, tunc illud opus complebitur et apparebit in mundo. Et si forte accideret cum hoc quod Sol esset in ascendente in hora illius planete vel habeat secum aliam mixtionem quam volueris, tunc illud opus erit stabilius et forcius. Et in his que supra diximus caveas ne planeta illam naturam vincens sit cum Sole. Si autem rationes predictas intellexeris omnes, ymages facierum habentes nominatos effectus in qualibet ipsarum facierum facere poteris et implere.

Capitulum duodecimum. De figuris et gradibus signorum et suis effectibus secundum opinionem Indorum, et quomodo proceditur cogitationibus istius sciencie, et cuius maneriei trahuntur virtutes corporum superiorum secundum opinionem eorundem cum notabilibus secretis.

Quidam autem sapientes indi dicunt quod radices artis magice effectuum est dignitas quam adorugen appellant. Et isto modo dicunt quod quamlibet partem ipsius adorugen appellant, quas concedunt et attribuunt 7 planetis; et planetam qui est dominus illius partis vocant adorugen. Et adorugen sic invenitur: quod signum ascendens in tres equales partes dividitur, et prima pars eius domino ipsius ascendentis attribuitur, 2 autem domino quinte domus, 3 vero pars domino none domus; et hoc propter quod ascendens, quintum et nonum sunt eiusdem triplicitatis. Opera autem magice artis per facies signorum secundum opinionem sapientum Indie fienda sunt prout dicetur inferius seriatim.

Primo enim incipiamus ab Ariete. Et dicimus quod eius prima facies est Martis, in qua quidem fiunt ymages ut illi pro quibus ille ymages funduntur in preliis et litigiis et controversiis vincant semper et obtineant, et ne in perpetuum devincantur; necnon et in ea fiunt ymages ad prohibendum lac bestiarum et ad damnandum eorum butirum.

Secunda vero facies Arietis est Solis, et in ea facies ymages pro regibus et dominis et ad eorum acquirendum amorem et ad retrahendum eorum nocumenta.

Tercia facies est Iovis; in ea facies ymages pro officialibus, vicariis, iudicibus civitatum et pro prelatiis et ad inter eos pacem et benevolentiam ponendam necnon et eos concordandos cum discordes fuerint.

Prima facies Tauri est Veneris, in qua quidem ymages fiunt ad ponendum amorem inter virum et uxorem.

Secunda facies est Mercurii, et in ipsa facies ymaginem ad inimicium

ponendam et ad ligandum voluntates et ad discordiam in mulieribus ponendam.

Tercia facies est Saturni, in qua quidem facies ymaginem ad ligandum viros ut cum mulieribus se coniungere non possunt, et e contra ad faciendum mulieres infirmari et ad homines a mulieribus separandos.

Prima facies Geminorum est Mercurii, in qua fiunt ymagines ad damnandum sensum et intellectum.

Secunda vero est Veneris, et in ea fiunt ymagines ut absens veniat et fugitivus ad locum revertatur.

Tercia autem est Saturni, in qua quidem fiunt ymagines ut de quo volueris male dicatur et ut in infamiam deducatur.

Prima facies Cancri est Lune, in qua quidem facies ymagines ad nubes et imbres tempore necessitatis provocandos et ut absens tam per terram quam per mare revertatur.

Secunda vero facies est Martis, et in ea facies ymaginem ad pluvias et nives male facientes prohibenda et ad retrahendum colubros et bestias feras tam maris quam terre male facientes.

Tercia vero facies est Iovis, in qua quidem facies ymaginem maritimis periculis evadendis.

Prima facies Leonis est Solis, in qua quidem facies ymaginem ad amorem et benevolentiam dominorum acquirendam et ut lupi, ursi et fere bestie quas queris coadunentur in loco quo volueris.

Secunda facies est Iovis; in ea facies ymaginem ad retrahendos lupos et ursos ut bestiis armentorum non noceant.

Tercia vero facies est Martis, in qua quidem facies ymaginem ad congregandos ursos, lupos et bestias feras in quacumque civitate, villa vel loco volueris.

Prima facies Virginis est Mercurii, et in ea facies ymaginem ut scribe bene habeant et in suis negociis lucrentur.

Secunda vero facies est Saturni, in qua quidem facies ymaginem ad damnandum instrumenta et scribanias.

Tercia vero facies est Veneris; in ea facies ymaginem ad pacem et amorem mulierum cum maritis suis ponendum.

Prima facies Libre est Veneris, in qua quidem facies ymaginem ut quem volueris affligatur amore mulieris vel e contra.

Secunda est Saturni, et in ea facies ymaginem ad amorem et secundum predicta in omnibus.

Tercia vero est Mercurii, in qua quidem facies ymaginem ut fugitivus redeat ex quocumque loco fuerit.

Prima facies Scorpionis est Martis, et in ea facies ymaginem ad congregandum tarantulas, colubros et bivoras ad quemcumque locum volueris.

Secunda est Iovis, in qua quidem facies ymaginem ad fugandum tarantulas et colubros ex quocumque loco volueris.

Tercia est Lune, et in ea facies ymaginem ad retrahendas et prohibendas pluvias et damnamenta tam ipsius pluvie quam maris.

Prima facies Sagittarii est Iovis, in qua quidem facies ymaginem ad amorem et benevolentiam et societatem.

Secunda est Martis, et in ea facies ymaginem ad affligendum et infirmandum quem volueris.

Tercia est Solis, in qua quidem facies ymaginem ad amorem et gratiam regum et superiorum acquirendum.

Prima facies Capricorni est Saturni, in qua quidem facies ymaginem propter venacionem avium et bestiarum et ut lac armentorum crescat et augeatur.

Secunda facies est Veneris, et in ea facies ymaginem ad augendum lac caprarum et meliorandum apes et eas multiplicandum in locis suis et ad provocandum aves in locum quem volueris.

Tercia facies est Mercurii, in qua quidem facies ymaginem ad damnandum omnia in precedenti facie contenta.

Prima facies Aquarii est Saturni, in qua quidem facies ymaginem ad amorem et amicitiam et ad sociandum senes et maiores et servientes et ad inveniendum et capiendum thesauros.

Secunda facies est Mercurii, et in ea facies ymaginem ad amorem et societatem puerorum.

Tercia est Veneris, in qua quidem facies ymaginem ad amicitiam et benevolentiam mulierum.

Prima facies Piscium est Iovis, in qua quidem facies ymaginem ad piscandum in mari et in ipso bona itinera habendum.

Secunda est Lune, et in ea facies ymaginem ad beneficiendum arbores et fructus et ad pluvias tempore necessitatis provocandas et ad pisces in quo volueris loco tam fluvii quam maris congregandos.

Tercia est Martis, in qua quidem facies ymaginem ad habendum bona itinera in actibus militaribus et in venacione avium et bestiarum.

Et has facies supradictas Indi adorugen vocant.

Hermes autem Trismegistus Qdixit in libro De ymaginibus ad calculum ubi posuit ymagines omnes et singulas appropriatas cuilibet membro corporis humani et sub signorum faciebus constructas: recipe aurum purum et fac sigillum, in quo scribas figuram leonis, Sole existente in Leone in prima facie vel secunda et in angulo orientis vel meridie, et Luna non existente in eius domo, et domino ascendentis non aspiciente Saturnum vel Martem aut recedente ab eo. Et hoc sigillum ligetur in lumbari vel circa renes. Expertus sum quod qui tenuerit eum postea numquam passus est. Vidi etiam quandam medicum sigillantem cum sigillo illo olibanum tamquam ceram; et illud sigillatum dabat in potu pacienci, et statim liberabatur. Ego enim feci sigillari troiscos de sanguine hirci secundum doctrinam istam factos, et operabantur miraculose. Hoc idem fit in aliis passionibus membrorum secundum modum et formam et ad equacionem planetarum.

Aries. Forma eius est erecta sine lingua. Et proprietates eius sunt ad omnes infirmitates capitis. Tamen qui natus fuerit Sole existente in primo vel tercio vel quinto gradu Arietis, non prodest ei hec figura nisi fiat in augmento Lune sive eius luminis. Et he sunt condiciones figure: sint Saturnus et Mars directi, Iupiter non sit in Aquario, et Venus non sit in Virgine quia est domus depressionis, et Mercurius non sit in Tauro; et fiat hec figura a primo gradu Arietis usque ad quintum prime faciei, nec fiat in secunda facie (dicunt enim aliqui quod secunda facies pertinet ad oculos et tertia ad aures, unde debet respici in gradu); et quod Sol vel Iupiter sit ex toto supra terram; et fiat in hora Solis. Dicunt alii quod bonum est in die et hora Iovis. Et fiat ex auro vel argento ad pondus septem granorum tritici mediocris. Et expertum est.

Taurus. Forma eius est posita supra epar et super omnes eius infirmitates. Et

fiat in prima facie a primo gradu usque ad nonum. Non sit Saturnus in Piscibus nec Luna in Scorpione, et sit Mars directus; oportet etiam multum mutare. Fiat enim in die et hora Solis; non sit Sol sub terra. Et non fiat in secunda facie; dicunt enim aliqui secundam faciem esse supra infirmitatem fellis, et terciam super infirmitatem canne. Et fiat forma eius ad formam bovis: cauda eius magna, os parvum, oculi magni. Et fiat de ere rubeo.

Gemini. Forma eius est posita super splenem et super omnes infirmitates eius. Fiat enim a primo gradu usque ad 10. Sit Sol super terram; et si Iupiter erit in Geminis plus valebit quia diminuit splenem. Gemini sunt corpora duo tortuosa ad formam duorum hominum usque ad umbilicum, et ab umbilico inferius est unum corpus; et in una manu tenet unum baculum. Et fiat ex argento in die et hora Solis in prima facie; in secunda vel tertia invenies damnum aliis membris.

Cancer. Forma eius est posita ad omnes infirmitates ventris. Et fiat in prima facie a primo gradu usque ad quintum; secunda facies non confert isti infirmitati, tamen posita est ad omnem infirmitatem ultimi intestini. Cave ne Saturnus et Iupiter sint retrogradi; et Mars sit in Tauro et Luna in augmento luminis sui, et Sol sit in descensu (id est, post meridiem), et Leo sit super terram. Et non fiat nisi in die Solis, nec fiat nisi a prima hora usque ad octavam vel in prima et in octava. Et fiat ex auro vel argento. Et forma eius est ad formam cancri. Et cave ne Capricornus sit in domo media (secundum opinionem magistri doctrinalis domus media est domus sexta vel octava). Et Taurus non sit in domo quarta; sis enim cautus in istis condicionibus quia omnes sunt necessarie. Et est posita super colicam passionem. Et si posset fieri in nocte Solis et hora eius, esset valde bona.

Leo. Forma eius est posita super renem dextrum et super omnem infirmitatem renum. Fiat forma eius ad formam leonis sine lingua; rectus non tortuosus. Et fiat in die et hora Solis, et fiat a primo gradu usque ad decimum prime faciei. Et sit Mars directus; et Saturnus et Iupiter si fuerint in eodem signo, non potest esse melius. Et si Luna fuerit in Leone, sit in augmento; et si fuerit in aliis signis, non timemus eam, tamen non sit in quarta, quinta, vel sexta. Nec Saturnus sit in domo octava. Et fiat ex auro vel argento, et fiat sculpendo vel imprimendo uno ictu. Et non sit tempus nebulosum nec fiat a medio quinti gradus superius; et sit Sol super terram. Secunda facies posita est ad auferendum omnem infirmitatem Mercurii et Lune, et facies tertia posita est super costas que sunt coram renibus; et expertum est. Aliqui dicunt quod, si imprimatur in mastice, Sole existente in Leone, et tempore necessitatis remolliatur per 10 dies in vino et bibatur totum, curat omnem morbum renis dextri per totum illum annum.

Virgo. Forma eius est mulieris involute et equitantis super leonem, in manu tenentis baculum vel ferrum. Et est posita super omnes infirmitates renis sinistri, et ad hominem ultra quinque annos. Et sunt multe alie condiciones que posite sunt in Libro ymaginum, tamen hic dicam que magis sunt necessarie. Saturnus, Iupiter et Mars sint retrogradi, Luna vero non sit in domo quinta nec Sol in domo octava, nec Iupiter sit in Aquario nec Saturnus in Leone nec Aldebaran sub terra, nec Algamidirus sit cum Luna nec in aspectu eius, nec Saturnus et Mars sint contrarii (id est, oppositi) nec Iupiter in medio celi. Et fiat Sole existente a primo gradu usque ad quintum prime faciei. Et fiat forma hominis equitantis super leonem. Et habebit in hoc magnam proprietatem; et in hoc concordantur sapientes Indi qui in hoc sunt experti. Et

fiat ex argento vel auro in die et hora Solis, et non mutes hic aliquid, et sis cautus in numero.

Libra. Forma eius est posita super omnes infirmitates stomachi. Et fiat in prima facie a primo gradu usque ad decimum. Et Venus non sit retrograda nec Iupiter in Libra, et Sol sit super terram; et fiat in die Iovis a prima hora usque ad quintam. Fiat ex auro vel argento ad pondus septem granorum mediorum tritici. Sapientes vero Indie non mutabant consuetudinem; imo faciunt in die et hora Solis; et sunt experti quod in die nebuloso non fiat. Et si poteris facere quod Sol percuciat formam, non potest esse melius, sicut scripsit Enoch; ☐ et expertum est. Et dicitur quod forma Libre debet esse vir unus ascendens vel incedens recte, et in eius manu tenens balancias rectas, et in eius capite avem mediam albam et mediam nigram. Et scripserunt meridionales quod Luna non sit in diminutione sui luminis. Si fuerit in Libra, sis bene cautus in numero et forma; hoc est expertum. Et qui expertus est invenit eam meliorem in primo gradu; et secundum opinionem eius fuit quod Iupiter erat super terram et fuit facta de die, et fuit melior quia fuit facta sculpendo et non percuciendo.

Scorpio. Aliqui ponunt formam eius formam corvi et aliqui formam hominis tenentis in manu corvum; et hoc sicut est per experimentum. Et est posita super infirmitates intestini superflui. Et sit Luna in augmento sui luminis; et fiat in die et hora Solis; et sit Sol super terram; et fiat in prima facie; et non sit tempus nebulosum. Indi autem ponunt quod Saturnus sit super terram. Et fiat in prima facie a primo gradu usque ad undecimum.

Sagittarius. Forma eius est hominis proicientis sagittas arcu. Enoch ☐ dicit quod ipse ascendit tortuose ut caput eius curvum; et in manu eius sinistra avis. Et est posita super omnes infirmitates manus dextre; et commendat eam multum contra oblivionem quia est bona ad expellendas omnes infirmitates Saturni, Martis et Veneris. Et non sit Saturnus retrogradus, nec Mars sit in domo duodecima nec Iupiter in domo quarta; et Sol sit super terram; et non sit tempus nebulosum. Fiat ex auro vel argento in prima facie a primo gradu usque ad quintum in die et hora Solis.

Capricornus. Forma eius est unius eduli albi; et medietas ventris est nigra. Et est posita super omnes infirmitates manus sinistre et ad expellendam infirmitatem Mercurii et Lune. Et Mercurius non sit retrogradus et sit super terram, et Saturnus sub terra et Venus super terram in oriente, ut dicit Enoch. ☐ Indi autem dicunt quod oportet quod fiat in die et hora Solis, vel in die Mercurii et hora Solis; tamen non est ita bona sicut illa. Et fiat in prima facie a primo gradu usque ad decimum. Aliqui ponunt proprietatem eius risui et fletui (id est, contra risum et fletum), aliqui posuere contra hominem iratum ad reducendum eum graciosum.

Aquarius. Forma eius est hominis tenentis duos urceos. Et est posita super omnes infirmitates pedis dextri. Et Saturnus, Iupiter et Mars non sint retrogradi, et Luna sit super terram et Venus sub terra. Aliqui posuerunt hanc figuram ad omnes infirmitates pedum. Et fiat in prima facie a primo gradu usque ad quartum. Et est ad auferendas omnes malas cogitaciones cordis. Aliqui posuerunt eam ad letificandum. Et fiat in die et hora Solis. Et Iupiter non sit adustus, cum Sole, et Sol non sit alcior Iove; et Saturnus in gradu ascendentis.

Piscis. Forma eius est posita super omnes infirmitates pedis sinistri. Et facias ut Luna sit in medio celi; et Mars non sit in medio celi, Iupiter non sit retrogradus; et Sol sit super terram; et tempus non sit nebulosum. Et fiat in

tota prima facie; tamen facies secunda posita est ad tibias, et tertia ad coxas. Et aliqui posuerunt hanc terciam contra crudelitatem hominum, ut Indi sunt experti. Et fiat ex auro et non ex alio metallo. Aliqui dicunt quod stannum valet ad hoc vel mastix. Et fiat de die. Has autem formas supradictas Hermes posuit in suo libro ad calculum.

Et quidam magnus sapiens Indorum dicit quod infusio virtutis stellarum fixarum non completur nisi ordinacione, mundificacione et inquisicione et estimacione voluntatis, eo quod virtutes corporum superiorum sunt forme et vires inferiorum, et forme inferiores sunt ut materia virtutibus superiorum, et sunt ad invicem colligate propter quod una trahit aliam. Et hoc quia eius materie corporee sunt una materia tantum et earum materie spirituales sunt una materia.

Et quidam sapientum eorum dicunt quod virtutes et potencie sunt subtilitates quas fecit Deus, et eas posuit in mundo supra eius creaturas indulgencia et pietate; qui quidem sapientes multos libros fecerunt in predictis, et omnes locuti fuerunt de intellectus subtilitate et acuitate. Et quando querunt attingere et devenire ad gradum alciorum qui leges statuere, primum agunt penas in suis corporibus et mundificant se ab omnibus sordibus. Et hoc incipiebant in prima hora dominice, que dies et hora sunt proprie Soli attribute, et ieiunabant 40 diebus absque comestione carni, et gubernabantur ex rebus nascentibus in terra et ex granis et herbis. Et minuebant omni die de eorum cibis usque ad 40 diem; et quantum comedebant in ipso ultimo 40 dierum erat quadragesima pars eius quod comederant in primo. Et in toto predicto ieiunio utebantur et post medicinis quibus perditur desiderium comedendi et bibendi, et in nihilo opportunitatis deficiebant. Et quando faciebant ut supra, inveniebant in eorum spiritibus subtilitatem intellectus et acuitatem, et intelligebant quod volebant, et retinebant et augebant eorum voluntates et sensus; et minuebantur partes terrestres et ponderositates que erant in eis, et subtilitas et acuitas in eis manifeste apparebant, et apparebant sapor et appetitus ad mundum alciolem ascendendi et ad locum quo spiritus extrahitur; et abhorrebant sapes, quietudines et delectaciones mundi. Et cum hoc fecerunt, tunc oportebat eos trahere virtutes et potencias celi; dicebant enim et faciebant mirabilia, et attingebant que volebant preterita et futura sciendo periodos eorum vite, et habebant potencias leges ad libitum statuendi; et spiritus stellarum obediebant eis. Et in hoc libro sunt magna secreta que veritatem rerum appellant, ex quibus sciunt Deum altum et ipsum cognoscunt factorem omnium et creatorem. Et asserunt quod omnia que fuere hoc opere usi non faciebant nisi ut ad ipsum Deum et ad eius unitatem cognoscendam attingere prevalerent ut eius possent lumine illustrari. Et quantum sumus locuti in predictis non diximus nisi ad ostendendas eorum radices et conventus eorum effectuum et ordinacionum quas in suis legibus sanxere.

Et eorum tanta fuere mirabilia que si narrare vellemus essent auditoribus et narrantibus difficilia, et hoc opus nostrum nimis longum esset et prolixum, et a nostro deviaremus proposito. Idcirco ad nostrum propositum redeamus predicta utiliter relinquendo.

Dico enim quod sapiens Alraze unum librum magice fecit, in quo unam constellationem per eum probatam posuit que talis est. In omnibus vero operibus magice que ad amorem, amicitiam et societatem vel ad omnia similia istis erimus facturi, aspicere debemus ut Luna sit iuncta Veneri vel ipsam

aspiciens in signo Piscium, vel ipsa Luna in Pisce aspiciens Venerem in signo Tauri existentem; quod cum istam constellationem in predictis taliter observaverimus, intentum nostrum mirabiliter obtinebimus et adimplebimus quod voluerimus in ipsis. Et cum voluerimus operari ex quacumque manerie mali, aspicere debemus ut Luna sit in Cancro vel Libra aspiciens Martem vel ei coniuncta existens in ascendente vel septima domo; et quod petierimus adimplebitur in malo. Et in omnibus operibus in quibus voluerimus ut sanguis decurrat ex quocumque cursu ponamus Lunam in signo aquatico. Et in omnibus ad discordiam et inimiciam operantibus ponamus Lunam in Ariete vel Cancro aspicientem Saturnum ex quarto aspectu vel cum eo iunctam. Et in operibus quibus linguas voluerimus ligare ponamus Lunam sub radiis Solis, et nostre operationes sint in nocte. Et in omnibus quibus operati erimus pro regibus, senioribus et altis hominibus, ponamus Lunam Solem aspicientem, ipso in eius domo vel exaltacione existente necnon et in medio celi; et quando sic erit, nostra complebitur peticio. Et in omnibus operibus prelatorum, iudicum et rectorum et legibus se intromittencium, ponamus Lunam aspicientem Iovem in Pisce vel Sagittario et in medio celi existentem, quibus negocium fortificatur magis et completur. Et in omnibus operibus litigii, scribarum, serviencium regum et tenencium redditus regum, ponamus Lunam aspicientem Mercurium, et cum hoc ipse Mercurius sit in Geminis vel Virgine et Luna sit lumine completa; et tunc negocium poteris adimplere.

Et intelligas quod aspectus Lune quartus ad quemlibet planetarum est magis apparens secundum naturam; et hoc quando est in aliquo quatuor angulorum, quorum forcior est angulus medii celi. Et sic in omnibus operibus fortunarum ut sit aspectus planetarum fortunarum, sed in effectibus malis non habeat aspectum aliquem ad fortunas sed cum infortunis tantum. Quod si facere volueris aliquid ex malis operibus, aspicias ut infortune aspiciant eam, quia ex viribus et potentiis Saturni et Martis predicti adimplentur effectus quia sunt forciores et magis potentes in maneriebus istorum operum.

Et similiter scias quod aspectus Lune cum planetis est forcior quando fuerit Luna orientalis a Sole sive ante ipsum, et non quando fuerit retro. Et aspectus Lune cum Sole trinus vel sextilis est bonus in omnibus operibus altis quemadmodum petere thesaurum, magnas divicias, regnum, honorem et victoriam. Quod si in omnibus operibus predictis fuerit Luna in decima domo, erit effectus melior et forcior valde in complendo ipsum effectum, quod fieri non posset ipsa in 4 vel 7 domo existente; nec ipsa Luna aliquid valet in predictis quando est lumine privata aut a Sole combusta. Aspectus Lune ad Venerem trinus vel sextilis, quartus vel oppositus est congruus omnibus effectibus, nihilominus non est talis ut in aspectu Iovis qui quidem est melior et forcior in omnibus operibus, preterquam in operibus compositionis, amoris et amicie durabilium mulierum et in omnibus similibus aspectus Veneris melior est et forcior eo quod predicta omnia Veneri proprie attribuuntur, et maxime cum fuerit aspectus trinus et Luna in signo terreo vel aquatico. Et si forte contingeret Lunam in signo esse igneo vel aereo, sit ascendens eorundem.

Et Alraze sapiens supradictus qui predicta narravit fuit homo in omnibus istis scienciis credulitate dignus, quia erat sapiens et inquisitor scienciarum ac rerum probator, studens multum in libris antiquorum. Sed Geber Abnehayen, sapiens magnus qui multos libros in hac sciencia fecit, sicut est

liber quem nominavit Librum secretorum magice, et alius Liber magnus divisus in 80 libros, et alius quem nominavit Librum clavium in figuris graduum suisque effectibus et iudiciis, ac alius In astrolabio in quo posuit omnes operationes astrolabii, quem in capitula 1000 divisit, in quo multa opera et mirabiles effectus dicit quos nullus preter ipsum narravit, et eius liber magnus quem nominavit Librum completum magice, et cumulavit in eo dicta sapientum omnium scienciarum et alia mirabilia que semper a sapientibus erant occultata. Et idem observabat in cunctis scienciis ymaginum et effectibus figurarum celi et in potenciis planetarum et operibus nature; qui quidem sapiens omnia predicta composuit, et extraxit motum et effectum Solis quod probacionibus arismetricis invenit. Quibus merito istum nominavi sapientem et in magistrum meum accepi et me in discipulum eius posui quamvis inter nos extiterit magnum tempus. Et rogo Deum quod ei vitam eternam concedat, et ipsum in altum locum ponat cum animabus sanctorum. Sed Plato sapiens magnus duos libros magice fecit, scilicet Maiorem et Minorem. Et in Maiori locutus fuit in effectibus figurarum celi, ex quibus mirabilia magna dixit sicut est super aquas ire, et se in formam cuiuscumque animalis transferre vel aliquam formam compositam a seculo inauditam, et pluvias provocare in tempore quo pluere non debet et detinere pluviam tempore debito pluvioso, et facere stellas currere et cadere radios extra sua tempora, et civitates inimicorum comburere necnon et naves in mari et loca remota que volueris comburere, et ascendere in aerem, et stellas apparere incongruo tempore apparenti ut sint similes ac si caderent de celo, et cum mortuis loqui, et apparere facere Solem et Lunam in multas partes esse divisos, et ut funes et haste serpentes videantur et dracones, comedentes quicquid apponitur eis, et magna itinera et parva in momento oculi ire. Et omnia predicta que diximus fiunt potenciis et virtutibus figurarum et propter attractionem fortitudinum spirituum ut nobis sint obedientes et propter eorum compositionem fortitudinum cum figuris corporum materie istius inferioris mundi compositorum. Ideo ex istis erunt spirituales motus omnia corpora moventes, quibus motibus effectus mirabiles fiunt necnon et opera que non sunt hominibus usitata, sed quasi de miraculorum genere apparencia. Qua quidem ratione omnes libri ab ipso sapiente compositi pleni sunt nominandi figuras et hortandi ut eas sciamus, et earum proprietates et effectus addiscamus, et qua semita suos effectus attingere valeamus modis omnibus prosequamur. Et hoc est quod Pitagoras □loquens in figuris celi dicit: quod sunt exempla propter istas alias figuras mundi. Dicit eciam quod in aliori mundo est materia durabilis et spiritualis quam sensus percipere non potest. Et Geber Abnehayen in hac sciencia unum librum composuit quem Librum completum nominavit, in quo locutus fuit qualiter sit animal rationale et animal irrationale. Et ideo quod in hoc libro fuit locutus naturali ratione locutus fuit que assimilatur effectibus nature, sed id quod Plato dixit, racionibus celi, potenciis et effectibus figurarum spirituum in materiis naturalibus compositarum dixit. Et in hoc nostro libro, si Deus voluerit, de predictis omnibus erimus locuti racionibus effectuum figurarum celi, de quibus in loco congruo secundum nostrum iudicium erimus locuti iuxta illud quod invenimus in libris sapientum et secundum ea que nostris temporibus sum expertus in effectibus figurarum, signorum et planetarum. Sed hic noster liber secundus hactenus terminetur.

Explicit liber secundus Picatricis.

BOOK III

Incipit liber tercius ipsius Picatricis, in quo tractatur de proprietatibus planetarum et signorum; et eorum formas et figuras ostendit in suo colore; et qualiter cum spiritibus planetarum loqui potest, et quamplurima alia nigromantica.

Capitulum primum. De partibus planetarum existentibus in plantis, animalibus et metallis.

Capitulum secundum. De partibus signorum in predictis tribus partibus existentibus, scilicet plantis, animalibus et metallis.

Capitulum tertium. De figuris, tincturis, vestimentis et suffumigacionibus planetarum necnon et tincturis facierum signorum.

Capitulum quartum. Qualiter secreta nisi in hac sciencia ab assuetis intelligi non possunt.

Capitulum quintum. De demonstracione [unius] proprie virtutis in animalibus et rerum notabilium in hac sciencia necessariarum, et quomodo spiritus planetarum figuris et suffumigacionibus trahuntur.

Capitulum sextum. De magisterio trahendi spiritus planetarum naturalibus rebus, et quid sit ymago et cuius maneriei potest habere virtutem.

Capitulum septimum. De attractione virtutis planetarum, et quomodo loqui possumus cum eis, et quomodo effectus dividitur per planetas, figuras, sacrificia, oraciones, suffumigaciones, proposiciones; et status celi necessarii cuilibet planetarum.

Capitulum octavum. De modo oracionum quibus Neptini orabant Solem et Saturnum, et quibus modis cum ipsis loquebantur et suos spiritus et effectus trahebant.

Capitulum nonum. De modo attrahendi vires cuiuslibet planetarum divisim et spiritus illarum virium nominandi secundum earum partes necnon et modo dicta nomina operandi.

Capitulum decimum. De demonstracione confectionum spirituum planetarum et retrahendi damnamenta operum et effectuum miraculorum nigromantie et cibariorum, suffumigacionum et unguentorum, odorum quibus uti debet operator spirituum planetarum; et effectus planetarum proprios et opera que nisi visu operantur.

Capitulum undecimum. De effectibus ymaginum in rebus diversis necnon et in alteracionibus visus ut videantur res aliter quam sint, et de modo dormiendi, vigilandi, faciendi toxica et eorum remedia.

Capitulum duodecimum. De regulis in hac sciencia necessariis.

Capitulum primum. De partibus planetarum existentibus in plantis, animalibus et metallis.

Postquam in precedenti libro sumus locuti de ymaginibus et figuris celi et ceteris ibidem existentibus, nunc dicamus quod figure sive vultus huius seculi celestibus figuris eisdem similibus assimilantur. Et scias quod secundum quod Sol transit de loco ad locum in circulo signorum eius diversificantur effectus, qui etiam diversificantur propter diversitatem planetarum et stellarum fixarum. Et ideo quando aliqua disponere voluerimus, inspicere debemus tempus congruum ad ea in celestibus figuris operibus faciendis animadvertendo, et tunc cum effectu opera fient que facere intendimus natura et similitudine rerum terrestrium ad celestia et conveniencia duarum naturarum ad invicem, scilicet celestis et terrene. In qua quidem terrena celestis virtus infunditur, et in ea motus et alteracio spiritualis maxima secundum petita. Quapropter opera ymaginum sunt duarum manerierum, videlicet virtute celi et terre naturali virtute. Et quantum in hoc tercio libro erimus locuti in ymaginibus nigromancie totum sequitur scienciam ymaginum et earum altitudines excelsas.

Et in hoc loco effectus et potencias quas quilibet planetarum habet in se divisim circa effectus et proprietates nigromancie serius narrabo.

Et primo dicam de Saturno. Saturnus est minera virtutis retentive. Et habet aspectum in scienciis profundis, et in scienciis legum, et in petendo causas et radices rerum et suorum effectuum, et in loquendo mirabilia, et in sciendo proprietates profundas et secretas. Et ex idiomatibus habet Hebraicum et Caldeum; et ex membris extrinsecis aurem dextram, et ex intrinsecis splenem, que est minera melancolie qua omnia membra ad invicem coniunguntur; et ex legibus Iudaicam habet; et ex pannis omnes pannos nigros; et ex magisteriis laborare terram, arare, fodere, extrahere mineras et eas laborare et magisteria edificiorum; et ex saporibus res malorum saporum; et ex locis montes nigros, rivos obscuros, puteos profundos et fossatos et loca herema; et ex lapidibus aliaza et omnes lapides nigros; et ex metallis plumbum, ferrum et omnia nigra et fetida; et ex arboribus sambucus, quercus, carubias, palmas, vites; et ex herbis cuminum, rutam, cepas et omnes plantas que habent profunda folia; et ex speciebus aloe, mirram et similia ut cerusam et coloquintidam; et ex olentibus fortiter cassiam et storacem; et ex animalibus camelos nigros, porcos, simias, ursos, canes et gattos; et ex avibus omnes collum longum habentes et grossam vocem ut grues, struciones, dugam, corvum; et omnia animalia sub terra crescencia, et omnia animalia minuta, succida et fetida. Et ex coloribus omnem colorem nigrum et pardum habet.

Iupiter est minera virtutis augmentandi. Et habet aspectum in legibus et legalitate, et in scienciis iudiciorum, et agilitatem acquirendi petitiones, reparaciones et retenciones; et ab infirmitatibus mortalibus custodit. Et habet sapienciam, philosophiam et interpretaciones somniorum; et ex linguis Grecam; et ex membris exterioribus aurem sinistram, et ex interioribus epar quo complexionem rectificantur et humores; et ex legibus unitatem; et ex pannis albos, preciatos. Et ex magisteriis faciendis et non faciendis habet imperare et corrigere legem et mercimonia nitida; et ex saporibus dulcia; et ex locis oratoria et omnia loca clara, nitida et sacra; et ex lapidibus smaragdum et omnes lapides albos et croceos ut cristallum et omnem lapidem lucidum et album qui precio reputatur; et ex metallis stannum et tuciam; et ex arboribus

nuces et avellanas, pinos, pistacia et omnes arbores fructificantes, fructum habentes et corticem; et ex herbis mentam albam et omnes herbas fructuosas et bonum odorem habentes; et ex speciebus crocum, sandalum croceum, muscum, camphoram, ambram et macem; et ex animalibus omnia animalia formosa et in eorum formis posita, ex quibus sacrificia fieri solebant, et omnia animalia non offendencia, limpida et nitida ut sunt cameli, castones, cervi, alguazales; et ex avibus omnes aves formosas et pictas ut sunt pavones, galli, columbi montesini et coturnices; et ex animalibus minutis illa que sunt profectuosa sicut sunt vermes sericosi et similia. Et ex coloribus habet rubeum ad album declinantem.

Mars est minera virtutis attractive. Et habet aspectum in scienciis naturarum, et habet chirurgiam, et habet marescalciam bestiarum; et extrahendi dentes et flebotomandi et circumcidendi. Et ex linguis habet Persicam linguam; et ex membris extrinsecis narem dextram, et ex intrinsecis fel ex quo colera et calor descendunt, et instinctum irascibilem et prelia. Et ex legibus habet hereticos et unius legis ad alteram mutacionem; et ex pannis lineos et pelles leporum et canum et pelles varias; et ex magisteriis laborantes ferrum cum igne et arma bellica et latrocinia; et ex saporibus calidum et siccum et amarum; et ex locis castra, forcia et loca defensibilia et bellorum et loca in quibus ignis accenditur, et decollaciones animalium, et in quibus lupi et ursi et fere bestie congregantur, et loca iudiciorum; et ex lapidibus alaquech et omnes lapides rubeos et obscuros; et ex metallis azernech (id est, auri pigmentum rubeum) et sulfur et naft et vitrum et es rubeum; et ex arboribus omnem arborem calidam in sua natura existentem ut piper, pineum, scamnoneam, cuminum et cocindium, aureolam, euforbium et cicutam et arbores bonas ad accendendum ignem; et ex speciebus omnes habentes malam complexionem et interficientem omnes ex eis comedentes, et hoc excellenti calore existente in eis; et ex odoribus sandalum rubeum; et ex animalibus camelos rubeos et omnia animalia que habent magnos dentes rubeos et animalia fera, damnificancia; et ex animalibus parvis mala faciencia ut bivoras, scorpiones, mures et similia; et ex coloribus colorem rubeum valde.

Sol vero est lumen mundi quo mundus gubernatur, et minera generative virtutis. Et habet aspectum ad philosophiam, auguria et exposicionem iudiciorum. Et ex linguis Gallicam linguam habet, et in Grecorum lingua cum Mercurio particeps invenitur; et ex membris extrinsecis oculos, ex intrinsecis cor, quod est dominator corporalium membrorum et fons caloris, vitam toti corpori concedens; et ex legibus legem gentilium et spirituum planetarum oratores; et ex pannis preciosos et altos, in quibus apponitur aurum; et ex saporibus crassum et dulcem; et ex locis civitates magnas, regales et pulchras, in quibus reges morantur, et loca sublimia et preciosa; et ex lapidibus rubinum et iargonzam; et ex metallis aurum; et ex arboribus excelsas et pulchras veluti palmas altas positas; et ex herbis crocum et rosam, et in tritico, grano et olivis est particeps cum Saturno; et ex speciebus lignum aloes, sandalum, laccam et omnes species in sui complexione calidas et acutas; et ex odoribus optimum lignum aloes; et ex bestiis preciosas et fortes ut homo, boves, equi, cameli, arietes, vacce et omnia animalia magna, fortitudinem et potenciam habencia; et ex avibus quas reges solent tenere ut sunt astures, falcones, aquile, et est particeps in pavonibus, et eciam colubras magnas habet, et in ursis participat cum Marte; et ex coloribus habet rubeum competentem et croceum similem

auro.

Venus est minera fortitudinis saporum. Et habet aspectum ad grammaticam, artem metrorum et sonorum et cantilenarum. Et ex linguis habet Arabicam; et ex membris corporis extrinsecis narem dextram, et ex intrinsecis meatus coitus et projectionis spermatis et stomachum, unde egreditur comedendi et bibendi virtus et sapor; et ex legibus legem Sarracenorum; et ex pannis omnes pannos pictos; et ex magisteriis omnia magisteria pingendi et figurandi, et vendicionem specierum bene odoriferarum, et pulsare instrumenta boni auditus, cantare, saltare et cordas instrumentorum facere; et ex saporibus omnia dulcia que sunt boni saporis; et ex locis loca viciosa, et loca in quibus homines solent quietare et in quibus homines tripudiant, et loca hilaritatis in quibus cantatur et sonatur, et loca dominarum et mulierum formosarum, necnon et loca comedendi et bibendi; et ex lapidibus margaritas; et ex mineris azurum et almartach; et ex plantis omnes plantas bonum odorem habentes ut crocum et arhendam, rosas et omnes flores bonum odorem et saporem et amenum visum habentes; et ex speciebus balsamum et grana bona iuleb, multum redolencia, muscum et ambram; et ex animalibus mulieres, camelos et pulchriora et omnia animalia pulchra et in suis corporibus equalia ut alguazales, pecudes, algazel et lepores; et ex avibus omnes aves pulchras et formosas et vocem habentes, canentes ut perdices, calandras et similia. Et ex animalibus minutis picta et pulchra habet; et ex coloribus colorem celestinum et colorem auri declinantem aliquantulum ad viridem.

Mercurius est minera virtutis intellectualis. Et habet aspectum ad ciencias addiscendum et sapiencias et dialecticam, grammaticam, philosophiam, geometriam, astronomiam cum suis iudiciis, geomanciam, notariam et augurium avium secundum sermocinacionem, interpretacionem idiomatum Turcorum et aliarum gentium; et ex membris hominis patentibus linguam, et ex intrinsecis cerebrum et cor, a quibus emanant intellectus et virtutes quibus encia in ordine disponuntur, et memoriam sensitivorum; et ex legibus omnia illicita et inquisitiones ad quid sunt leges et diligere leges philosophorum et eas que secundum sensum sunt; et ex pannis pannos lineos; et ex magisteriis predicare, versificare, carpentariam, geometriam et exposiciones somniorum, debuxandi et figurandi, et omnia magisteria que subtili ingenio sunt reperta; et ex saporibus acrem; et ex locis domum predicandi et loca in quibus magisteria subtilia operantur et fontes aquarum, rivos, lacus, puteos; et ex lapidibus omnes lapides figuratos et incisos; et ex mineris argentum vivum et omnes mineras que sublimantur et in alciora operantur; et ex plantis arundinem, bombacem, linum, piper, et omnes arbores acutum saporem habentes ut gariofili, et omnes arbores fructus et cortices extra habentes; et ex speciebus omnes gummas; et ex redolentibus bene ea que sunt medicinalia et gubernancia ut zinziber, spica nardi et similia; et ex animalibus homines, camelos parvos et azebias et rumas, simias, lupos, et omnia animalia in saltu et cursu velocia, et omnes bestias fraude comedentes; et ex avibus que sunt leves volatu et que apparent ut omnia faciant sensu et intellectu, et amenas voces habentes; et ex animalibus minutis ea que leviter moventur ut formice et similia; et ex coloribus blavium et misculum.

Luna est que recipit virtutes planetarum et infundit eas in mundo, et est minera virtutis naturalis. Et habet aspectum ad geometriam et arismetricam, et in concursibus aquarum pondere et mensura, et altas ciencias,

nigromanciam et phisicam et petitiones earum et rerum antiquarum. Et ex linguis habet Alemanicam; et ex membris hominis exterioribus oculum sinistrum, et ex intrinsecis pulmonem, a quo emanat respiracio; et ex legibus idola orantes et ymagines; et ex pannis pelles et tobalias; et ex magisteriis limare, et pelliparios, cudatores monetarum et marinarios; et ex saporibus illos qui sapore carent ut aqua; et ex lapidibus perlas minutas; et ex metallis argentum et ea que corpora alba habent; et ex arboribus achor<os> et arundines, et omnes arbores albas et boni odoris, et omnia in terra nascencia que non in pedibus eriguntur, et omnes plantas minutas et omnes caules et omnia pascua; et ex locis fontes aquarum, lacus, paludes et loca nivium et aquarum cuiuscumque maneriei existunt; et ex speciebus que sunt pre gubernaciones et medicinales ut cinnamomum, zinziber, piper et similia, et ex animalibus runcos rubeos, mulos, asinos, vaccas et lepores; et ex avibus omnes aves leves in suis motibus, et omnia animalia in aere nascencia et ibidem vivencia, et omnes aves aquarum et in colore albas. Et habet colubros albos; et ex coloribus colorem compositum ex croco et rubeo. Et scias quod natura Capitis Draconis est augmentandi; quod si fuerit cum planetis fortunatis augmentantur in suis honoribus et fortitudinibus, et si fuerit cum infortunis augmentantur eorum damna et infortunia. Et similiter Cauda Draconis est de natura diminucionis. Et si fuerit cum planetis fortunis minuit eorum bonum, si vero cum infortunis eorum mala minuit et damnaciones. Et moneo te ut in predictis diligenter intelligas.

Capitulum secundum. De partibus signorum in predictis tribus partibus existentibus, scilicet plantis, animalibus et metallis.

Et quemadmodum quilibet planetarum suas in rebus proprietates habet, sic et quodlibet signorum suas habet proprietates in rebus. Et incipiamus primo ab Ariete.

Aries habet ex membris corporis caput, vultum, pupillam oculi et aures; et ex coloribus croceum cum rubeo mixtum; et ex saporibus amarum; et ex locis arenosa, loca ignea et loca in quibus coadunantur latrones; et ex metallis et mineris ea que igne operantur; et ex animalibus ungulas habencia, quibus pedes cooperiuntur.

Taurus habet ex membris corporis collum et arterias vocis; et ex locis omnem terram populatam, ortos et loca arandi; et ex arboribus omnes arbores longas et facientes fructus comedendi, et eas que non indigent aqua, et omnes bonos odores et sapes habentes; et ex animalibus omnia animalia quadrupedia et ungulas habencia.

Gemini habet ex membris corporis spatulas, brachia et manus; et ex coloribus viridem ad croceum declinantem; et ex saporibus dulcem; et ex locis domus et loca arandi in altis montibus existencia; et ex arboribus longas; et ex animalibus hominem et simiam; et ex avibus aves aquarum et omnes bonam vocem habentes et bonas cantilenas facientes.

Cancer habet ex membris corporis pectus, ubera, stomachum, pulmonem, costas et loca pectoris absconsa; et ex coloribus pardum et fumosum; et ex saporibus salitum; et ex locis lacus aquarum, paludes et loca in quibus coadunantur aque, littus maris et rivorum; et ex lapidibus qui sunt in aqua; et ex arboribus longas, in aqua nascentes; et ex animalibus crescencia in aqua, pisces minutos, colubros, scorpiones, bivoras et reptilia terre.

Leo habet ex membris corporis partem superiorem, cor, pectus et costas tenues, posteriores; et ex coloribus rubeum, croceum et brunetum; et ex locis defensibilia et forcia, civitates regales et castra forcia et loca sancta; et ex saporibus amarum; et ex lapidibus rubinum, adamantem et iargonzam; et ex metallis aurum; et ex arboribus longas; et ex animalibus dentes longos habencia; et ex avibus raptu viventes.

Virgo habet ex membris corporis ventrem et loca absconsa que sunt intestina et inferiora ventris ossa, viscera; et ex coloribus album et pardum; et ex saporibus stipticum; et ex locis loca coadunacionis mulierum et loca ioculatorum et cantatorum; et ex arboribus semina facientes; et ex animalibus hominem; et ex avibus natantes in aqua.

Libra habet ex membris corporis anchas et nates, sexum et caput ventris; et ex coloribus viridem, violatum et pardum; et ex saporibus dulcem; et ex locis herema, arenosa, venatoria et omnia loca alta et sublimia et ex quibus in circuitu multum videri potest; et ex arboribus longas et rectas; et ex animalibus hominem; et ex avibus capita magna habentes.

Scorpio habet ex membris corporis omnia membra tam viri quam mulieris verenda; et ex coloribus viridem, rubeum et pardum; et ex saporibus salsum; et ex locis succida, carceres et tristia, et lapides in quibus scorpiones coadunantur; et ex lapidibus corallum et margaritam aque; ex arboribus longas et rectas; ex animalibus scorpiones, bivoras, colubros, bestias minutas terre et succidas et bestias aque.

Sagittarius habet ex membris corporis nates, tibias et signa superflua in corpore et que magis sunt in corpore; ex coloribus rosaceum declinantem ad rubedinem et omnem colorem pardum et varium; ex saporibus amarum; ex locis ortos, loca regum et ignis; ex lapidibus smaragdum; ex mineris plumbum; ex animalibus hominem et aves, colubros et vermes parvos.

Capricornus habet ex membris corporis genua, nervos et infra genua, scilicet sub rotula et sub laccas; et ex coloribus pavonacium, cardinalem et omnem colorem ad pardum et nigrum trahentem; et ex saporibus stipticum; ex locis palacia regum, ortos et brachilia, littora rivorum et loca canum, hospicia quoque et los meson et loca in quibus coadunantur captivi necnon et loca magnarum figurarum et forcium; et ex arboribus omnes arbores fortes quemadmodum oliva, nuces, ilices et omnes arbores in aqua nascentes ut arundo et achorus et omnes arbores spinas habentes; et quedam pars bestiarum aque, reptilium terre et serpentum.

Aquarius habet ex membris corporis sub laccas et calcaneos et eorum nervos et claviculas; et ex coloribus viridem, plumbeum et croceum; ex saporibus dulcem; et ex locis loca aquarum currencium, maria et loca in quibus venditur vinum; ex lapidibus vitrum et similia; et ex arboribus longas; et ex animalibus hominem et omne animal in eius aspectu et figura turpe quemadmodum sunt diaboli.

Piscis habet ex membris corporis pedes et ungues et nervos; et ex coloribus viridem et album et omne bene coloratum; ex saporibus acrem; ex locis heremitarum, littora rivorum et maris et lacus aquarum et brachilia; et ex lapidibus perlas, lapides albos et claros ut cristallum et margaritas cuiuscumque generis aquarum; et ex arboribus convenientes inter longas et breves et omnes in aqua nascentes; et ex animalibus animalia aquatica et ibidem tardancia.

Et he sunt proprietates rerum quas planete et signa habent, que eis sunt

appropriate. In eis advertas quia in magicis radicibus oportet.

Capitulum tertium. De figuris, tincturis, vestimentis et suffumigacionibus planetarum necnon et tincturis facierum signorum.

Nunc autem de tincturis planetarum dicamus.

Saturni vero tinctura est quemadmodum lana combusta, Iovis viridis, Martis rubea, Solis ut auri pigmentum croceum, Veneris ut crocea, Mercurii ut lacca et auri pigmentum cum viridi mixtum, Lune ut album.

Forme vero planetarum secundum Mercurium in libro quem misit ad Alexandrum regem, et eum nominavit Librum 7 planetarum. Et sunt ut subiungitur, que in hac sciencia sunt multum necessarie.

Et forma Saturni est forma hominis nigri, mantello viridi involuti et caput canosum habentis et in eius manu falcem tenentis.

Et forma Iovis est forma hominis optimis pannis induti et super cathedram sedentis.

Et forma Martis est forma hominis super leonem equitantis et in eius manu lanceam maximam tenentis.

Et forma Solis est forma hominis sine barba, vultus formosi, et in eius capite coronam habentis et in eius manu lanceam, et ante ipsum formam caput et manus hominis habentem et residuum corpus ut equus quatuor pedes habens, iacens reversus (scilicet manibus et pedibus elevatis).

Et forma Veneris est forma iuvenis formose et in eius manu pectinem et in alia pomum habentis et eius capillos sparsos.

Et forma Mercurii est forma hominis nudi, scribentis et super aquilam equitantis.

Forma vero Lune est forma hominis supra leporem equitantis.

Qui predictus sapiens ipsum Alexandrum admonuit quod quando vellet aliquid operari alicui planetarum, sic esset operatus in corpore ipsi planete congrui in natura. Ut si volueris aliquid complere, considera naturam ascendentis tempore quo volueris operari, et indue te pannis eidem signo competentibus. Insuper ipsum ascendens a fortunis fortunabis et septimam domum cum infortunis infortunabis; et hoc propter quod ascendens est querentis (idcirco debet merito fortunari ut vigorosius agat), septima vero petitioni attribuitur (idcirco congrue debet infortunari ut eius debilitate ad effectum levius disponatur). Sequitur de coloribus pannorum seu vestimentorum planetarum. Color vestimentorum Saturni: est omne nigrum, et melius omnibus laneum. Color Iovis: viride, et ceteris melius sericum. Color Martis: ut flamma ignis, et melius omnibus sericum. Color Solis: croceum aureum, et ceteris melius sericum vel aureum croceum. Color Veneris: ut roseum, et ceteris melius sericum. Color Mercurii: multis coloribus mixtum, et ceteris preferendum sericum. Color Lune vero: album lucens, et sericum vel linum ceteris preferendum. Nunc autem de suffumigacionibus planetarum sermonem faciamus. Saturni suffumigacio est omnibus rebus fetidis ut assa fetida, gummi, bdellium et cicuta et similia; Iovis autem omnibus bonum odorem et equalem habentibus ut ambra, lignum aloes et similia; Martis vero omnibus calidis quemadmodum est piper et zinziber; Solis omnibus equalem et bonum odorem habentibus ut muscus, ambra et similia; Veneris omnibus equalem redolentibus ut rosa, viole, myrtus viridis et similia; Mercurii omnibus compositis odoribus ut narcissus,

violeta, myrtus et similia; Lune vero omnibus frigidis odoribus ut camphora, liliium et similia. In omnibus autem predictis in tuis operibus optime advertas. Sequitur nunc de tincturis facierum signorum per ordinem.

Tinctura prime faciei Arietis est rubea, et fit hoc modo. Recipe gallarum viridium partem unam, gummi et auri pigmenti ana partem mediam.

Pulverizentur divisim; deinde ad invicem omnia misceantur. Et cum ex eo volueris aliquid scribere vel depingere, cum clara ovi distemperetur. Secunde vero faciei tinctura est crocea et coloris aurei, et fit hoc modo. Recipe calcanti et atalach ana partes equales. Pulverizentur divisim; deinde misceantur cum melle. Et modico gummi distilletur, et operi reservetur. Tercie faciei tinctura est alba, que sic fit. Recipe blancheti et atalach partes equales.

Prima facies Tauri habet tincturam pardam et fumosam, et fit hoc modo.

Recipe fuliginem, et misceatur cum gummi. Et usui reserves. Secunde faciei est alba, que componitur hoc modo. Recipe blancheti et atalach parves equales. Et usui reserves. Tercie autem faciei est nigra, et fit ex lana combusta.

Prima facies Geminorum habet tincturam croceam ac similem auro in colore, que sic componitur. Frangantur galle; et ex eis accipe partes nigras intus existentes, quas mollifica in aqua qua cooperiantur, et inde solummodo.

Et in alia aqua idem facias de lacca. Deinde predictae aque cum modico gummi ad invicem misceantur. Et usui reservetur. Secunde faciei est rubea, et fit hoc modo. Recipe auri pigmenti et cinabrii; ad invicem commisce, et distillentur; et eis adiungatur gummi quod sufficiat. Et usui reservetur. Tercie faciei est rubea, et fit ut diximus supra.

Prima facies Cancri habet tincturam croceam, et fit quemadmodum supra diximus. Secunde faciei est crocea, et fit ut antea diximus. Tercie faciei est nigra, et fit ex auri pigmento et gallis – partes equales cum modico gummi.

Prima facies Leonis habet tincturam pardam, et fit ut antea diximus.

Secunde faciei est crocea, coloris auri assimilata, et fit ut supra diximus. Tercie faciei est rubea malorum granatorum coloris assimilata, et fit hoc modo.

Recipe cinabrii, et lavetur multociens. Deinde optime molliantur pulveres et misceantur cum aqua gallarum viridium, et adiungatur modicum gummi et lacce. Et usui reservetur.

Prima facies Virginis est rubea ad aureum colorem declinans, et fit hoc modo. Recipe crocum optime pulverizatum et cum aqua viridium gallarum distemperatum, optime mixtum, et per aliquod tempus sic dimittatur in quiete; deinde addatur modicum gummi. Et ex eo scribere poteris in opportuno tempore ad operationem predictae faciei. Secunde faciei est parda, cuius compositio est ut supra diximus. Tercie faciei est crocea ad rubedinem declinans, et fit hoc modo. Recipe azernech, et optime pulverizetur in aqua croci et modico gummi. Et usui reservetur.

Prima facies Libre est parda, et fit ut supra diximus. Secunde faciei est nigra, et fit ut supra diximus. Tercie vero faciei est alba, et fit ut supra diximus.

Prima facies Scorpionis habet tincturam nigram, secunda croceam, tertia vero pardam, que omnes fiunt ut supra diximus.

Prima facies Sagittarii habet tincturam rubeam, et fit ut supra diximus.

Secunde faciei est crocea, que fit hoc modo. Recipe azernech croceum, et ponatur ad ignem per spacium unius noctis. Deinde misceatur cum modico ceruse et optime pulverizetur; postea addatur modicum gummi. Et scribe cum ea. Tercie vero faciei est parda, et fit ut supra diximus.

Prima facies Capricorni habet tincturam viridem, que fit ex viridi cum

gummi. Secunde faciei est rubea, et fit cum cinabrio et gummi. Tercie vero faciei est nigra, et fit ut supra diximus.

Prima facies Aquarii habet tincturam rubeam declinantem ad Indicum, que fit ex sanguine draconis cum modico gummi. Secunde faciei est nigra, et fit hoc modo. Recipe gallarum, gummi, auri pigmenti ana 3 i et pergameni 3 semis. Pulverizentur divisim, et misceantur insimul, et cum albumine ovi distemperentur; et fiant pillule, quas siccare permittas. Et cum volueris scribere, unam ex eis cum aqua distempera, et cum ea scribas. Tercie vero faciei est viridis, et fit cum felle alicuius animalis et cum modico gummi. Prima facies Piscium habet tincturam rubeam remissam, que fit ex cerusa pulverizata et cum modico cinabrio et gummi. Secunde faciei est parda, et fit ex cortice de atarf combusta cum modico gummi. Tercie vero faciei est rubea, et fit ut supra diximus.

Et he predictae facierum tincture ex quibus sumus locuti sunt necessarie valde in operibus magicis, necnon et quantum diximus ex proprietate planetarum in rebus valde necessarium est in ipsis. Omnia vero predicta sunt secundum opinionem Mercurii sapientis narrata. Qui autem voluerit spiritum alicuius planete secum sociare ut serviatur ab eo utetur omnibus suppositis et ordinatis nature eiusdem planete et omnibus <ad> spiritum eiusdem planete convenientibus tam comedendi quam bibendi, induendi, suffumigandi, magisterii, temporis, tincturarum, oracionum, sacrificiorum, lapidum, figurarum, ymaginum et constellationum. Que cum predicta omnia ad invicem in opere concurrent, celestialis virtus in ipsis operibus terrenis descendet et in unum simul coniungetur, et efficietur effectus integre et complete. Et si aliquid deficeret ex predictis, impediretur petitum.

Et etiam scire oportet civitates et climata eo quod planetarum potencie diversificantur in eis. Hoc autem apparet in rebus nascentibus in aliquo ipsorum climatum que nullo modo possunt in altero reperiri, quemadmodum sunt minere, lapides, metalla, arbores et plante, et etiam aliqua hominum accidentia que in uno loco specialiter reperiuntur, omnibus aliis locis carentibus. Prout in quadam terra apparet nominata Thebith quod intrantes in eam in continuo risu permanent absque eo quod videant aliquid disponens ad ridendum; imo risus ex propria natura causatur ibidem. Et similiter nascentes in quadam terra que vocatur Burgum vivere nequeunt secundum tempora nisi egrediantur a loco et moram alibi faciant; quod ex proprietate ipsius loci procedit. Et ut in mari occidentali in quo fit sericum ex sua proprietate, storax et mastix; et in terra Liemen in qua invenitur absinthium, in qua est mons in cuius cacumine emanatur aqua per ipsius montis partes decurrens, et antequam planiciem circa ipsum montem attingat coagulatur et in alumen album convertitur.

Reperitur autem lignum aloes in una insula Indie, que est iuxta quandam insulam que vocatur Camer per quinque dietas, et nominatur Cabria; et in ipsa insula Camer est valde bonum lignum aloes quod Cameri nominatur. Et est iuxta eam alia insula nominata Azanif tribus dietis; et lignum aloes in ista insula repertum nominatur Azanifi, quod est multum melius ligno Cameri quia non submergitur in aqua bonitate sua et levitate. Nec lignum aloes in universo preterquam in predictis tribus insulis est possibile reperiri.

Preterea in quadam civitate nominata Mecha et in civitate de Atripoli mortalitates non accidunt neque lepre; necnon et in civitate Haybar multum generantur febres; et in loco Duo maria nominato sepe et sepius infirmitates

splenis contingunt et apostemata in ano generantur; et mortalitates in Ierusalem conceduntur.

Et in Liemen et Azin invenitur lapis aliaza, quorum melior est qui in Liemen reperitur. Qui autem hunc lapidem in annulo super se portaverit semper in eius incessu erit tristis, melancolicus et cogitans, et videbit somnia mala et mendaciosa, necnon et cum hominibus litigaciones et discordias habebit. Et si ipsum supra puerum posueris, ab eius ore bave decurrent. Ex quo quidem nisi in magicis operatur operibus, et hoc propter quod cum virtutibus celestium corporum sue virtutes alterantur et effectus mali franguntur et destruuntur. Et in partibus Indie tucia reperitur, et in terra de Tin et aliquando in partibus Hispanie invenitur; et est lapis plumbeus, ponderosus et albus, cum quo si es rubeum decoquitur croceum efficitur.

Et iuxta Armeniam et Lorcam lapis lazuli invenitur; et in quodam monte iuxta Lisbonam invenitur lapis de bezedi; et iuxta Merlagam in campo nominato Montorum invenitur iargonza rubea; et in partibus Tadmir inveniuntur adamantes; et in partibus Cordube ematites inveniuntur; et in montibus Ubede reperitur lapis Iudaicus qui lapidem hominis frangit, et marchasita aurea omnibus mundi melior; et in partibus Barchilonie margarite; et in fluvio Granate colligitur aurum; et in monte Hermetis colligitur Mercurius; et in Bathea (videlicet in burgo nominato Piterna) reperitur tucia melior omnibus aliis in faciendo latonem; et in montibus Cordube invenitur minera de alcohol; et in partibus Neblie reperitur optimum ageti. Et similiter in civitate Alahavez vir aliquis non reperitur coloratus, sed semper habens febres continuas. Et supra hanc civitatem mons extitit in quo infinite bivore existunt, et in ipsius civitatis domibus multe tarantule et vermes aut bestie mortifere existunt. Et in Sedauran, que est in partibus Africe, reperitur lapis in foraminibus ligni lentisci generatus, qui quando super eum pluvia cadit coagulatur, et niger efficitur et levis, et galle assimilatur in sapore. Et alia mirabilia multa in uno loco reperiuntur que in aliis minime reperiri possunt. Et hoc contingit propter planetarum et ymaginum celi potencias ibi magis quam alibi appropriatas.

Et secundum hoc est id quod dicit Ypocras, quod forme humanorum corporum formantur secundum naturas et proprietates locorum in quibus efficiuntur et generantur.

Ex hoc autem manifeste apparet quod in hac sciencia valde necessarium est scire naturas climatum et civitatum necnon et influencias planetarum influencium in eisdem. Nunc vero dicamus aliquid de proprietatibus planetarum in rebus inferioribus mundi. Et primo de Luna, cuius proprietas est crescere. Arbore et fructus augmentat et diminuit; et ipsa est causa ovorum et gemmarum, augmenti et diminucionis rivorum et aquarum. Ipsa enim coniungit et alligat potencias planetarum et spirituum celorum cum inferioribus huius mundi quemadmodum in aliquibus arboribus apparet, que eius virtute crescunt et roborantur, et virtute aliorum planetarum damnificantur; et in aliquibus e contrario apparet ut in ficibus que virtute Lune damnantur et virtute Solis crescunt et roborantur; et ut eciam in animalibus et vegetabilibus maritimis apparet que eius potencia crescunt, et animalia terrena eius frigiditate in nocte quando ab ipsa aspiciuntur, ipsis existentibus discoopertis, leduntur. Iupiter est auctor vite et scienciarum; ab ipso enim leges, fides et iudicia procedunt. Venus autem est auctor ludorum, instrumentorum, sonorum, cantilenarum; et in omnibus suis voluntatibus et

scienciis non debite reguntur; potenciam habet et dispositionem. Mercurius vero est auctor facunditatis, intellectus rationalis et sensus; et ab ipso intellectus subtilium rerum et profundarum procedit. Saturnus vero est auctor deceptionum, arandi terras atque edificia laborandi; intellectus enim longinqui et antike leges ab ipso procedunt. Sol autem dat lumen omnibus aliis planetis; ab ipso enim omnis tenebra retrahitur; spiritus eciam ab ipso gaudet et extenditur; per eum autem in cunctis arboribus fructus maturantur et desiccantur, et ab eo cunctorum vegetabilium generacio procedit. Et generaliter dicimus quod ipse est lumen et candela universi.

Capitulum quartum. Qualiter secreta nisi in hac sciencia ab assuetis intelligi non possunt.

Sapientes vero antiqui qui in magicis scienciis et nigromancia fuere locuti in eorum libris quantum plus potuere obscure scripserunt, ex quibus nullum vel modicum potest extrahi proficuum nisi a sapientibus et continue studentibus et operantibus in eis. Et hec pars hic quasi frustra ponitur cum ad propositum modicum faciat.

Capitulum quintum. De demonstratione proprie virtutis in animalibus et rerum notabilium in hac sciencia necessariarum, et quomodo spiritus planetarum figuris et suffumigacionibus trahuntur.

Postquam autem superius de proprietatibus cuiuslibet planetarum in tribus inferioribus, que sunt animalia, plante et minere, dictum est, sequitur ut in his tribus aliquid dicamus. Ex his autem animalia nobiliora existunt, et ex his sublimior dinoscitur homo eo quod nobiliori reflectione consistit. Sunt enim animalia unum sensibile tantum habencia ut conche marine, alaph omidie et cetera his similia, et aliqua duo, tria, quatuor, quinque et decem sensibilitates habencia. Ipse enim homo habet decem manifestas et quinque absconsas, de quibus in hoc libro iam sumus locuti. Tamen forme animalium sunt diverse, ut apparet per omnia animalia discurrendo. Et sicut homo est animal medium inter celestes spiritus separatos et bruta, sic pisces sunt medii inter aves et bestias, et conche aquatice sunt medie inter sensitiva et insensitiva, cum hec duo sensibilia tantum habeant – et hoc propter eorum terrestrem naturam que vincit in eis, et quasi efficiuntur arboribus similes in natura. Et ex istis patet quod quanto animalia plus habent de aliquo elementorum, tanto magis de natura eiusdem efficiuntur. Idem homo est nobilior animalium eo quod in eius corpore elementa sunt in quantitate debita vicissim remissa, ex quibus ceteris animalibus fit equalior in complexione. Et unumquodque elementorum habet proprium animal quod numquam ab eo separatur, ut ab aere numquam separantur aves nec pisces ab aqua, et spiritus diabolici numquam a perpetuo igne separantur, qui quidem infernales nuncupantur, sed ignis qui sentitur et sensu proprie percipitur est proprie proporcionatus animali nominato salamandra, quod animal est ad formam muris in igne concreatum. Et animalia gravia propter eorum gravitatem non separantur a terra. Nunc respondeamus cuidam tacite questioni, videlicet qualiter diaboli consistunt in igne. Dico enim quod homo minor mundus nominatur, et hoc per comparacionem ad maiorem quasi dicat quod quicquid continetur in maiori continetur virtualiter in minori. Ergo si diaboli sunt in ipso maiori

mundo, oportet quod quodammodo reperiantur in minori per effectum. Quod fit: quando irascibilis appetitus accenditur in homine, immoderate inflammatur et fit irascibilis et furibundus in summo, et tunc efficitur diabolus in omnibus suis actibus. Et per quandam similitudinem dicere possumus quod diaboli in igne consistunt, videlicet in accensione ignis irascibilis in homine existentis, ex quo diabolici consequuntur effectus. Et versa vice, quando ipsius hominis voluntas est in debito temperamento et virtute ac ratione gubernatur, ut angelus efficitur. Bene ergo dicere possumus quod in ipso minori mundo prout in maiori cetera consistunt.

Nunc autem ad propositum redeo. Et dico quod divisio trium generum predictorum circa planetas et ipsorum opera in scienciis supradictis secundum Capteos, Nepteos, Egipcios, Grecos, Turcos et Indos est ex commixtionibus parcium istorum generum ad invicem, et ipsos operari suffumigationibus, vestibus, cibus et odoribus. Et isto modo faciunt mirabilia magna valde prout in eorum libris integre reperimus. Faciunt enim confectiones cum quibus circa adiunctionem virium stellarum in aere operantur quousque misceantur viribus ignis, tandem quod in hoc mundo attingant, et tunc effectus sive peticio completur. Aer enim est corpus preter quod alia corpora vitam minime habere possunt cum sit medium in recepcione corporum sive influenciarum vel effectus planetarum voluntate agentis disposita ex mixtione ipsius aeris cum aere generali. Et eciam habet effectus per suffumigationes positas secundum membra corporis humani, que suffumigationes componuntur ex arboribus et aliis generibus; ex quibus suffumigationibus moventur spiritus hominum erga quodcumque appetunt. Et eciam habent opera magice mirabiles et manifestos effectus habencia.

Ego autem vidi in quodam libro cuiusdam sapientis nominato Divisio scienciarum et panditor secretorum, in quo sic erat scriptum. Dixit mihi quidam fidedignus cui cum alter quidam de terra Foracen obviavit, qui de terra Indorum venerat et se in hac sciencia intromittebat, quod, quando locutus fuit secum disputando quasdam dubitationes, in hac sciencia dubitabat. Dixit enim quod evidenter probavit. Erat in terra illa iuencula quedam que ab omnibus pulcherrima reputabatur. Dixit quod ipsam ad hospicium meum venire faceret. Ego autem ipsum rogavi ut mihi quidem faceret adimplere promissa, et hoc duabus de causis: una vero amore sciencie, alia usu puelle; et quod predictum opus faceret in meo conspectu. Et statim suspenso astrolabio et Solis altitudine inventa, cepit ascendens necnon et duodecim domos constituit. Invenit enim Arietem in ascendente, cuius Mars dominus existit, et invenit in 7 Libram, cuius Venus est dominus. Quesivi autem ego quid predicta significarent. Respondit quod ascendens et septima sunt formales in petitione quam queris. Et equatis dictis Marte et Venere, posuit eos in figura prout erant, dicens quod quando se aspicerent trino aspectu, qui est aspectus amoris et amicicie, adimpleretur intentum. Invenit quod hic aspectus esset in 40 die inter eos totaliter completus. Asseruit quod in dicto 40 die a die petitionis facte obtineret intentum. Et statim morsello lapidis accepto aymantis, ipsum optime pulverizavit et cum tantumdem gummi armoniaci incorporavit; et ex composito ad similitudinem meam ymaginem formavit. Postea cepit celsas siccas et ipsas bene pulverizatas cum cera incorporavit; deinde ex ipso composito formavit ymaginem ad ipsius iuencule formam, induitque eam pannis ipsius vestimentis similibus. Deinde cepit unum urceum novum, in quo posuit 7 baculos sive fustes (videlicet

ramorum myrti, salicis, mali granati, mali, cotoniorum, celsi et lauri), et composuit istos in medio urcei – 4 scilicet inferius et superius 3 – in modo crucis positos. Deinde in ipso posuit ymaginem in nomine meo factam; subsequenter ymaginem puelle in dicto urceo posuit. Et ad hoc faciendum aspexit quando Venus esset in opposito Martis, et Mars a fortunis roboratus. Clausit urceum, aperiebatque ipsum omni die in hora qua predicta posuerat in eo. In fine vero ipsorum 40 dierum, in quo dominus ascendens erat aspiciens dominum 7 a trino aspectu, aperuit ipsum et posuit ipsas ymagines unam per aspectum alterius, videlicet facie ad faciem. Postea clausit urceum et mihi iussit sepelire sub foculario in quo esset modicus ignis; et in sepeliendo cum modico glareae dicens unum verbum ex India, verbum illud interpretavit et ipsum mihi exposuit quod in posterum dicemus. Opere vero completo ut supra, extraxit et aperuit urceum, et ymagines extraxit ex eo. Et illico vidimus predictam iuvenulam per ostium domus ingredientem ibique per decem dies continue morantem. In fine vero ipsorum decem dierum dixit mihi predictorum operator. Postquam tibi adimplevi promissa, pro meliori eligo quod prefatam iuvenulam solvamus, et sue pristinae restituatur libertati. Et pro bono idem asserui. Et acceptis predictis duabus ymaginibus, in quo sepelierat reposuit. Et accepto agno casto pulverizato et cum cera incorporato, fecit candelam ex eo et ipsam in foculario accensit. Ipsa vero combusta, extraxit ymagines a sepultura, eas ab invicem dividendo, hinc unam proiciens et aliam inde, dicendo alia verba que postea per ipsum mihi fuerunt exposita. Quod totum faciebat ut manifestaret mihi eius scienciam. Quo facto statim memoratam iuvenulam vidimus expirantem et quasi a somno stupefactam erectam. Que taliter fuit allocuta: quid a me queritis dicatis. Et sic fugiens recessit a domo. Hoc autem fuit unum ex mirabilibus magnis que per spacium vite mee in hac sciencia viderim. Predicta autem non recitavi nisi ut animadvertas huius sciencie mirabilia et suorum effectuum magnitudinem ut, quemadmodum iste operatus fuit in predictis aspiciens planetas eorumque loca, aspectus, ascendens, reliquas domos, materias ymaginum componendarum, suffumigationes et omnia ad predictum opus congrua, et tu similiter in tuis operibus sis operatus taliter quod in ipsis congrua omnia et ad tuam conclusionem competencia debite prosequaris. Et ex hoc finem optatum attingere poteris prout sapientes scripserunt.

Nunc autem tractare incipiamus de his que promissa sunt in operibus spirituum planetarum, stellarum commixtionum, et generaliter ad complementum ymaginis necessariorum ut ymago recipiat virtutes planetarum, scilicet suffumigationum et ex quibus cibis abstinere debet operans ut opus leviter compleatur. Et dico tibi, carissime, quod cum magno labore et studio hunc librum composui, sapientum antiquorum libros quamplurimos convolvendo, aspiciens et cogitans in opinionibus quorundam, et conclusiones veridicorum et effectum comprobatas scribendo, in tantum quod 224 libros predecessorum antiquorum sapientum studui de verbo ad verbum, et ex ipsis omnibus tamquam florem et liliam eorumdem hunc composui librum, vacans per sex annos continue in predictis.


Et antequam de predictis sermonem faciamus, ponam amphorismum notabilem et observandum valde. Receptio autem spirituum planetarum secundum antiquorum opinionem est ut subiungitur. Primo oportet ut naturam planete cognoscas cum quo in receptione eius virium et spirituum volueris operari et ipsius vires componere in figura seu ymagine quam

volueris, et naturas rerum ipsi planete proprie appropriatas ut superius fuit tactum, videlicet de coloribus, cibis, odoribus et suffumigacionibus. Deinde diligenter advertas quod color superficiei corporis ymaginis sit similis coloribus tali planete deputatis, necnon et odor odoribus, et color vestimentorum ymaginis et operantis colori eidem planete appropriato; et suffumigaciones sint odorum prefato planete appropriatorum. Et corpus interius operantis sit ipsius planete nature, videlicet ut cibetur ex cibis eidem planete deputatis et [hoc] tam debite sumptis ut corpus ipsius operantis ex eis possit in propria complexione debite conservari. Et si forte contingeret ut talia cibaria ipsius nature esset contrada, cibabis eum modice et temperate in principio; et sic paulative cibando procedes quousque stomachus sit talibus assuetus, et ex eis augmentetur appetitus ut corpus ex ipsis gubernari valeat et nutriri. Cum autem corpus fuerit taliter gubernatum, aspicias eundem planetam in qua parte zodiaci signorum consistit, et quod eius radii rectis lineis proiciantur ad terram nec ab aliorum planetarum eidem contrariorum radiis abscindantur; imo ad terram infundantur directe, omni impedimento remoto. Deinde ex minera eidem planete appropriata accipies, ex qua crucem unam infundes; et hoc in constellatione debita sis operatus, quam crucem duobus pedibus erigas. Deinde compones eam super figuram sive ymaginem tue petitioni et spiritui planete congruam. Verbi gracia: si volueris componere ymaginem ad lites et ad inimicos debellandos et terrendos, componas crucem in figura leonis vel serpentis. Et si volueris operari ad fugiendum et evadendum, tunc componas crucem in figura avis. Et si opus tuum fuerit ad augmentum diviciarum, potencie, honoris et altitudinis, componas crucem in forma hominis super cathedram sedentis. Et huius modi secundum predicta exempla facies in omnibus tuis petitionibus, componendo crucem in figura tue petitioni congrua. Et si volueris ut obediaris a quocumque volueris et tuorum preceptorum non sit transgressor, facias ymaginem ipsius in lapide nature ipsius planete appropriato, videlicet qui maiorem potenciam habuerit in radice nativitatis eiusdem et in ascendente. Et ipsam ymaginem facies in hora ipsius planete, et ipse planeta dominans in nativitate non sit in oppositione nec in eodem signo vel in aliquo aspectu cum aliquo planeta eidem contrario. Cum autem predicta hoc modo perfeceris, ponas hanc figuram ut sit erectrix alie prime figure. Causa vero propter quam dicimus hanc figuram in forma crucis fiendam esse est quemadmodum diximus, scilicet quod omnia in suis viribus colligantur figuris ex sua qualitate existentibus, et fugiant a contrariis. Et nos querimus potencias spirituum planetarum ut sue figure coniungantur, et non cognoscimus figuram spiritus nec ad ipsam attingere possumus experimento nisi per figuram hominis, animalis vel alterius rei. Et ideo concluditur quod omnis virtus predictorum maxime consistit in figuris. Idcirco, quia videmus omnes figuras et formas arborum et plantarum esse in suis figuris diversas necnon et figuras animalium et similiter minerarum, quapropter nullo modo cognoscere possumus proprie figuras ipsorum spirituum planetarum, ideo sapientes huius artis antiqui tamquam universalem figuram crucem elegerunt, et hoc propter quod omnia corpora apparent sua superficie et quia superficies figurarum habet longitudinem et latitudinem, et figura longitudinis et latitudinis proprie consistit in cruce. Idcirco hanc figuram tamquam universalem magistram diximus in talibus operandi et tamquam receptricem virium spirituum planetarum eo quod aliqua figura non divertitur ab ea. Et hoc est unum ex

secretis huius artis. Preterea omnes homines sunt infra circulos septem planetarum positi. Et quando virtus spiritus planetarum iungitur figure crucis, tunc habet opus virtutem et potenciam super alias figuras cuiuscumque figurarum existant ut, si esset in forma hominis composita, eius potencia super homines infunderetur, et in ceteris animalibus idem. Cum autem perfeceris istas figuras hoc modo, tunc facias unum thuribulum quod ex eadem crucis materia facies in modo et forma ut claudatur totum preterquam in eius summitate, in qua foramen consistit quo fumus possit per ipsum egredi; nec alibi fumus ardentium possit elevari. Preterea habeas domum extractam et istis operibus deputatam, in qua nisi operans in predictis ingredi minime possit – et operans tantummodo tempore operandi. Et hec domus habeat loca celo discooperta; eiusque solum herbis planete in ipso opere dominantis sit coopertum, nec in ea sit aliquid aliud preter ipsas herbas. Postea accipies suffumigationes nature eiusdem planete quas in ipso thuribulo in igne comburas. Postea ponas crucem super thuribulum taliter ut fumus egrediens a thuribulo per inferiora crucis ingrediatur et superioribus fundatur. Et predicta fiant omnia in hora debite electa, planeta vero in ipso opere dominante existente quemadmodum diximus supra. Quibus factis et diligenter predicto ordine adimpletis, attinget fumus eiusdem suffumigationis totaliter ad speram signorum lineis rectis, nec lineis aliorum planetarum eidem planete resistencium radialibus abscindatur. Et si opus tuum fuerit in istis inferioribus terre, iungitur spiritus planetarum, et eius virtus ipsis propriis lineis usque ad terram in operato descendit; et tunc adimplebitur quesitum.

Qui autem in hac sciencia laborare intendit sciat primitus et intelligat quod quilibet planetarum potencias habet et significaciones generales et particulares, et eciam unam potenciam aliam vincentem. Et ideo in predictis ingenium operandi est ut planetam aspicias in tuo opere generalem potenciam habentem, et non committas cum alio planeta particularem potenciam habente; imo spiritu et influencia ipsius planete generalem potenciam habentis sis operatus. Et si forte ipse planeta generalem habens potenciam dispositor esset nativitatis operantis vel almutaz vincens in ea, tunc negocium esset magis completum. Et sapiens ait quod non est via aliqua nec modus spiritus incorporeos corporeis spiritibus iungendi nisi modus superius prelibatus; et hoc est secretum huius artis. Qui autem predicta absque errore fuerit operatus ad quod voluerit poterit evenire. Et Aaron sapiens dixit quod quando sciens nativitatem sui ipsius in hac sciencia fuerit operatus, horam coniunctionis sui spiritus et corporis ad invicem discernere poterit et per consequens planetam in sui nativitate dominantem, quem cognoscet cognoscendo planetam efficientem compositionem spiritus et corporis in sui generatione. Quod si infortunatus fuerit, efficietur ipse infortunatus; et si fortunatus fuerit, efficietur e contrario fortunatus.

Capitulum sextum. De magisterio trahendi spiritus planetarum naturalibus rebus, et quid sit ymago et cuius maneriei potest habere virtutem.

Nullus autem in hac sciencia poterit esse completus nisi ad eam virtute et dispositione planetarum sua propria natura fuerit inclinatus; et hoc est quod in Libro Aztimehec Aristoteles dicit, in quo sic ait: natura completa philosophantem fortificat eiusque intellectum et sapienciam roborat ut in omnibus suis operibus levius valeat adimpleri. Huius autem sciencie

sapientum quilibet secundum gradus suos hanc scienciam inter eos occultavere pro posse nec ipsam alicui preterquam philosophis patefacere voluerunt. Et ipsi omnem scienciam et subtilitates philosophicas suis discipulis preter opera spirituum nature complete ostendere. Ipsos enim spiritus ipsius nature complete istis quatuor nominibus nominabant: Meegius, Betzahuech, Vacdez, Nufeneguediz, que quatuor partes sunt nomina istius spiritus nature complete superius nominate. Et cum ipsi sapientes dicta natura completa indigebant, istis quatuor nominibus appellabant, que nomina potenciam nature complete significant. Dixit autem Hermes: cum enim ego volui intelligere et extrahere secreta operis mundi et ipsius qualitatis, posui me supra quendam puteum profundum valde et obscurum, a quo quidem ventus impetuusus exibat; nec in ipso propter eius obscuritatem aspicere valebam. Et cum candelam in ipsum accensam mittebam, statim extinguebatur a vento. Deinde mihi in somniis vir formosus et imperiose auctoritatis apparuit, qui mihi taliter fuit allocutus: accipe candelam accensam ipsamque in lanterna vitrea ponas ut impetuositate ventus non extinguatur. Eamque in puteum mittas, in cuius medio fodias; et exinde ymaginem extrahas, que cum extracta fuerit, ab eadem ipsius putei ventus extinguetur, et sic ibidem tenere poteris lumen. Deinde quatuor putei angulos fodias, ex quibus extrahas mundi secreta naturamque completam et eius qualitates necnon et generationes omnium rerum. Interrogavi eum quis esset. Qui mihi respondit: Sum natura completa; et cum mihi loqui desideras, nomine meo proprio voca me, et respondebo tibi. Eum enim interrogavi quo nomine vocabatur. Qui mihi respondit vel dixit: Quatuor nominibus supradictis nuncupor et appellor, quibus cum me vocaveris, respondebo tibi. Iterum interrogavi eum quo tempore vocarem et qualiter facerem invocando. Et ille ait: Cum Luna in primo gradu Arietis fuerit in die vel in nocte, quandocumque velis, ingrediaris domum nitidam et splendidam, in cuius angulo ponas mensam a terra elevatam ex parte orientis. Et accipe quatuor urceos (et eorum quilibet sit unius libre capacitatis), quorum unum impleas butiro vaccino, alium oleo nucum, tertium oleo amigdalorum, quartum vero oleo de sisamo. Postea accipe alios quatuor urceos prioris magnitudinis confectos, quos impleas vino. Deinde facias compositionem ex oleo nucum, butiro, melle et zuccaro. Et accipe ipsos octo urceos, et hanc mixturam quam fecisti, et unum vas vitreum; ipsumque in medio mense primitus ponatur, et super eum ponatur compositio quam fecisti. Subsequenter ponas illos quatuor urceos vino repletos in quatuor partibus ipsius mense, qui hoc modo sint distributi: primum urceum in parte orientis, secundum in parte occidentis, tertium in parte meridiei, quartum ad septentrionalem partem situabis. Postea accipias alios quatuor urceos; et primo oleo amigdalorum repletum versus orientem iuxta urceum vini ponas, et oleo nucum repletum ponas ad occidentem, et butiro repletum ad partem meridiei, et oleo illius compositionis repletum versus partem septentrionalem situabis. Subsequenter vero accipe candelam ceream accensam, ipsamque in medio mense ponas. Deinde accipe duo thuribula accensis carbonibus repleta, in quorum uno ponas incensum et masticem, in reliquo lignum aloes ponas. Quibus expletis, erigas te versus orientem in pedibus et supradicta quatuor nomina sepcies invocabis. Quibus sepcies invocatis, eris taliter allocutus: exclamo vos, spiritus fortes, potentes et alti, quia a vobis sciencie sapientum et intellectus intelligencium procedunt necnon et vestrorum virtute petitiones

philosophorum complentur, ut mihi respondeatis, et mecum sitis, et me vestris potentiis et virtutibus vobiscum adiungatis, et me vestris scienciis roboretis ut intelligam ea que non intelligo, et sciam ea que ignoro, et que non video videam; et a me removeatis cecitatem, turpitudinem, oblivionem et infirmitatem; et me ascendere faciatis ad gradum antiquorum sapientum (eorum videlicet qui habuere corda scienciis, sapienciis et intellectibus et cognicionibus repleta); et predicta in corde meo affigatis taliter quod cor meum ut corda sapientum antiquorum erant efficiatur. Postea dixit: Cum autem opus prefatum predicto modo compleveris, videbis me. Hoc opus narratur in libro qui Astimequem nominatur. Et sapientes antiqui predictum opus semel in anno suis spiritibus facere solebant ut eorum naturas completas ordinarent. Hoc facto, comedebant, suis amicis secum adiunctis, quicquid erat in mensa appositum.

Aristoteles autem ait quod unusquisque sapiens habet virtutem propriam sibi a spiritibus altis infusam, quibus potentiis clausure sensus et intellectus aperiuntur et sciencie patefiunt. Et hec virtus cum virtute planete dominantis in radice nativitatis coniungitur, que virtus sic secum concreata ipsum roborat et sibi dat intellectum. Sapientes quidem antiqui et reges hoc opus facere solebant et hac oratione cum quatuor nominibus supradictis orabant, quibus se iuvabant in suis scienciis et intellectibus et augmentationibus suorum negotiorum et rerum, et ex istis se tuebantur ab insidiis inimicorum, et multa alia faciebant.

Qui eciam Aristoteles ¶dixit quod primus qui fuit cum ymaginibus operatus et cui spiritus primo apparuere fuit Caraphzebiz. Et iste fuit qui primo magicam artem invenit; et spiritus primitus apparuere eidem mirabilia facientes, et panderunt naturam completam contra sciencias, et ipsum nature secreta et scienciarum intelligere fecerunt. Et spiritus familiaris ait sic: Me tecum teneas, nec me alicui reveles nisi me vocanti et in meo nomine sacrificial facienti; qui sapiens erat ex spiritibus operatus, et suis potentiis necnon et operibus in suis actibus se iuvabat. Et ab hoc sapiente Caraphzebiz usque ad alium sapientem nominatum Amenus (qui Amenus fuit secundus in spiritibus et magicis operibus operatus) fluxerunt anni 1260. Qui sapiens in sua doctrina taliter admonebat, ¶quod quilibet sapiens volens in magica operari et sibi ipsi viribus spiritum servire omnia sollicita et omnes alias sciencias preter istam a se debet penitus amputare propter quod omnes sensus et intellectus et cogitaciones que circa aliquid strictius versantur poterit faciliter acquirere; et cum huic magice sciencie multum cogitaciones assidue congruant, oportet operantem per ipsam non esse circa aliqua alia involutum.

Et Tintinz Grecus idem in principio sui libri dixit, quod qui hoc opus voluerit operari ipsius voluntatem oportet et cogitaciones a ceteris deputare quia radix et tocius operis fundamentum in cogitacionibus consistit. Et Aristoteles ¶dixit quod ymago ideo nuncupatur ymago propter quod vires suorum spirituum sunt coniuncte; deinde cogitacio est inclusa in re in qua virtus in spiritu reclusa consistit. Et fortitudines spirituum sunt quatuor: scilicet, sensus qui in mundo extitit compositus, spiritus rei qua attrahitur spiritus, spiritus cogitacionis completus, sanus et illesus, et spiritus operis manibus laborati. Et hi tres spiritus in materia, voluntate et opere existentes coadunantur sensui cogitacionis complete, quem diximus esse in mundo compositum. Et attrahit radios et componit eos in rebus quas componere intendit quemadmodum in speculo quod, quando versus lucem Solis

elevatur, eius radii reflectuntur versus umbram collateralem; et recipit radios Solis suo lumine, et proicit ipsos ad locum umbrosum; et ipsius umbre locus lucens efficitur et illuminatus; nec propter hoc aliquid minuitur ex lumine Solis. Et sic operantur tres spiritus superius nominati qui, quando sensui mundi superius tacti iunguntur spiritus motus et quietudinis, attrahuntur vires ipsius spiritus, et ipse in materiam effunditur. Et hec est radix ymaginis et eius nuncupacionis.

Et Socrates dixit quod natura completa est Sol sapientis et eius radix luminum. Et quidam Hermetem sapientem interrogaverunt, rogantes: Cum quibus sciencia et philosophia iungebantur? Respondit: Cum natura completa. Et iterum interrogaverunt, dicentes: Que est radix sciencie et philosophie? Dixit: Natura completa. Preterea interrogaverunt eum strictius: Que est clavis qua sciencia et philosophia aperiuntur? Respondit: Natura completa. Deinde quesiverunt ab eo: Quid est natura completa? Respondit: Natura completa est spiritus philosophi vel sapientis cum planeta ipsum gubernante colligatus. Et ille est qui aperit clausuras sciencie, et ex quo intelliguntur ea que aliter intelligi minime possunt, et ex quo nature operationes procedunt et directe tam in somnis quam in vigilando. Idcirco ex predictis patet quod natura completa sic se habet in sapiente vel in philosopho quemadmodum doctor erga discipulum, qui docet ipsum principaliter in primitivis et levibus, deinde ad maiora et difficiliora procedit gradatim quousque discipulus in sciencia perfectus efficiatur. Et sic operatur proprie natura completa sua virtute et influencia, intellectum disponendo philosophi secundum eius naturalem inclinacionem. Et intelligas predicta memorie commendari oportere cum ex predictis concludatur quod impossibile esset aliquem ad istam devenire scienciam nisi eidem sciencie naturaliter inclinetur tam propria virtute quam dispositione planete in sui nativitate dominantis.

Capitulum septimum. De attractione virtutis planetarum, et quomodo loqui possumus cum eis, et quomodo effectus dividitur per planetas, figuras, sacrificia, oraciones, suffumigaciones, proposiciones; et status celi necessarii cuilibet planetarum.

Sapiens quidam Athabary nomine de operibus sapientum in recepcionibus virium planetarum prout in libris antiquorum in operibus magicis invenit observandum sic ait: Cum volueris cum aliquo planetarum loqui vel ab eo aliquid tibi necessarium petere, primo et principaliter voluntatem et credenciam tuam erga Deum mundifica, et omnino caveas ne in aliquo alio credas; deinde corpus tuum et pannos tuos ab omni sordicie mundifica. Postmodum aspicias cuius nature sit planeta cui peticio tua appropriatur. Et cum volueris planetam alloqui ad quem tua peticio proprie deputatur, induas te pannis ipsius planete coloribus tinctis, et suis suffumigacionibus te suffumigabis, et eius oracionibus orabis. Hoc autem totum facies cum idem planeta in suis dignitatibus permanebit et in dispositionibus suis superius nominatis, quibus observatis devenies quo affectabis. Nunc vero petitiones cuique planetarum competentes breviter recitemus. Queris enim a Saturno in petitionibus a senibus petendis vel hominibus generosis, senioribus civitatum et regibus, heremitis, terrarum laboratoribus, reddentibus civitatum et hereditatum, egregiis hominibus, agricolis, edificatoribus edificiorum, servis, latronibus, patribus, avis et bisavis. Et si in

cogitationibus et doloribus fueris positus aut melancholia vel infirmitate gravatus, in supradictis omnibus vel in quolibet predictorum petitiones petiturus fueris a Saturno et queras ea que sue nature deputantur, et ea ab eo petas ut in posterum dicemus, et te in sui petitione cum Iove iuvabis. Et radix omnium istarum petitionum est ut non petas alicui planete aliquam petitionem nisi ea que sue dominacioni sunt attributa.

Petas a Iove ea que in eius divisione consistunt, ut sunt petitiones sublimium virorum, potestatum, prelatorum, sapientum, predicatorum legum, iudicum, bonorum virorum, somniorum interpretatorum, heremitarum, philosophorum, regum, eorundem filiorum et puerorum filiorum, militum, consobrinorum; et petitionum pacis et mercimonii; et omnia istis similia requiras ab eodem.

Petas a Marte ea que de sui natura consistunt, ut sunt petitiones contra milites, officiales, agonizantes et se in actibus armigerum intromittentes; et propter amicicias regum, et domos et civitates destruentes, et mala hominibus facientes, interfectores, decollantes homines, et igne et stabulo similia operantes, litigatores, pastores, latrones, satellites viarum, mendaciosos et proditores et fratres. Et similiter petas ab eo pro infirmitatibus ab inguine inferius in corpore existentibus, et eciam propter flebotomiam, ventosas et similia; in quibus petitionibus cum Venere te iuvabis quia natura Veneris dissolvit quod aptatur a Marte et rectificat quod damnificat.

Petas a Sole petitiones eidem congruas, ut sunt petitiones versus reges, filios militum et regum, altos homines iusticiam et veritatem diligentes et mendacia et violenciam abhorrentes, bonam famam desiderantes et ab hominibus laudari affectantes, officiales, clericos, phisicos, philosophos, altos homines humiles, sensatos et magnanimos, fratres magnos, patres et similia.

Petas a Venere eidem pertinencia, ut sunt petitiones mulierum, puerorum et puellarum, filiorum, et universaliter ad amorem mulierum pertinencium et eisdem carnaliter coniungencium, illustrancium, cantatorum tam vocum quam instrumentorum, iocalia faciencium et mundanis deliciis deditorum, viciosorum, servorum et servarum, maritorum, matrum, amicorum, sororum et omnium istis similium, in quibus petitionibus cum Marte te iuvabis.

Petas a Mercurio petitiones appropriatas notariis, scribis, arimetricis, geometricis, astrologis, grammaticis, sermocinantibus, philosophis, rethoricis, poetis, regum filiis, eorundem secretariis, dugenariis, mercatoribus, ministris, advocatis, servis, pueris, puellis, fratribus parvulis, pictoribus, designatoribus et similibus eorundem.

Petas a Luna omnia eidem pertinencia ipsiusque nature attributa, ut sunt erga reges petitiones, inquilinos civitatum sive villarum, dugenarios, nuncios tam per terram quam per mare periclitantes, laborantes terram et arantes, geometricos, maiores, hominum pictores, marinarios et universos magisteriis aqueis operantes, populos gencium, geomanticos, mulieres desponsatas, regum uxores, matres, peuros barba carentes et similia.

Subsequenter scribere decrevi uniuscuiusque planetarum naturas et res cuilibet eorum appropriatas, et quid unusquisque significat eorum. Et hoc a Saturno tamquam a priori incipiendum est. Saturnus est frigidus et siccus, et est infortuna, damnans, auctor mali odoris et fetidi, superbus, proditor quia, quando aliquid promittit, prodicionem agit. Et eius significaciones sunt in agricolis et rivis et terram operantibus et controversiis et itineribus magnis et

longis et inimicis magnis et longinquis, malis actibus, preliis et omnibus invitis et vi facientibus, laboribus. Verba veridica, spem, nigredinem, senectutem, edificia, metum, magnas cogitationes, sollicitudines, iras, prodiciones, dolores, angustias, mortem, hereditates, orphanos, antiqua loca, estimaciones, assiduam elocucionem, ciencias secretorum et sensus secretos et profundos in scienciis: et predicta omnia significat ut supra dum fuerit in suo motu directus. Sed dum fuerit retrogradus, significat infortunia, debilitates seu infirmitates, carceres et mala in cunctis rebus sustinere; quod si fuerit aliquem aliorum planetarum aspiciens, debilitat eum et in omnibus qualitatibus alium planetam damnificat. Et si fuerit retrogradus et ab eo quicquam fueris petiturus, cum gravamine et miseria magnisque laboribus adimplebitur petitum. Et si in aliqua suarum dignitatum fuerit retrogradus, eius maledictiones augmentantur et crescunt; quod si potenciam aut dignitatem habuerit in ascendente, tunc erit magis conveniens et placatus. Iupiter est calidus et humidus, temperatus et fortunatus (nam fortuna magna nuncupatur) et Saturnum sequitur ordine planetarum. Et significat res subtilitate factas, corpora animalium, incepciones, augmentum animalium, iudicia recta, curialitatem et equalitatem in omnibus rebus, sensum, mansuetudinem, dicta veridica, veritatem, bonam credenciam, fidelitatem, castitatem, honorem, gratitudinem, facunditatem, bonorum verborum sustentamenta, bonam sensualitatem et intellectum, ciencias, philosophiam, doctrinam, obtenta directis racionibus et pacem, honorare homines, omnia negocia meliorare, complecionem petitionum, voluntatem regum, diligere divicias et eas cumulare, mansuetudinem, liberalitatem, sacrificia, adiutorium hominum in omnibus rebus et operibus suis, diligere populaciones et omnia populata, benefactorem hominibus, pietatem, legalitatem in omnibus habentem et servacionem, fidelitatum loca diligere, homines honestorum verborum, decencium ornamentorum, pulchritudinis, gaudii, risus multorumque colloquiorum, bene loquendi et cum gaudio, benignorum aspectuum, necnon et bonorum amatores malaque abhorrentes, bonorum verborum sermocinatores et cunctorum bonorum actuum operadores a malisque se vitantes.

Mars est calidus et siccus, infortuna, damnans et auctor malorum. Et significat damnamenta, mala opera, domos et civitates depopulare, siccitatem et prohibicionem pluviarum, ignem, combustionem, diversitates, sanguinem, omnes impetuositates in suis horis, mala iudicia et obliqua, oppressiones, dolores, necs hominum et omnium rerum damnacionem, destructionem, lites, guerras, prelia, terrores, hominum discordias, anxietates sive miserias, penas, vulneraciones, carceres, miseriam, fugam, litigia, stulticiam, prodiciones et omnia que sine sensu vel modo fiunt maledicta – modicum gaudium, mendacia, ingraticudines, modicam <vitam>, verecundiam, intercessus caminorum, interramentum et defectus solaciorum, discordias, acuitates et iras, et facere res in legibus prohibitas, metum, modicam legalitatem, prodiciones, sacramenta falsa et in omnibus operibus estimacionem, mala opera in coeundo cum mulieribus prohibito modo quemadmodum sunt appetentes bestias et alia animalia et mulieres alienas, incidere filios et creaturas damnare et in ventribus incidere maternis fetus, depredaciones, prodiciones et decepciones, in omnibus malas baratarias, miseriam habere, cogitationes, denudaciones, discalciamenta, depredaciones viarum, fractorem parietum in nocte, aperciones portarum et

male agenda omnium manerierum necnon et omnia a veritate et legalitate remota.

Sol est calidus et siccus, bono et malo in proprietate mixtus; rectificat et damnat, bonum et malum agit; fortuna et infortuna. Sensus et intellectus, exaltaciones et honores altos significat et ostendit, sed absque metu, leviter eiam, facit vires super inimicos mereri et mortes violentas leviter agendas; ostendit amicis dona grandia dantes (videlicet eidem appropriatis et merentibus); damnat multa allegantes, communiter incidentes, tribuit bona et aliquando mala agit et bona; observatorem legalitatum et observatorem promissionum; et omnibus hominibus facit diligere bonum et gaudium, magnam eloquenciam ac responsiones in omnibus leviter facientes; ad divicias cumulandas auget appetitum; bonum appetentem, famam bonam hominum loquentes, altitudines et honores erga homines habere, omnem legalitatem et bonitatem faciens, et eius proprietates regibus et altis hominibus in terra eorumque modis vivendi est valde necessaria, necnon et operationes minerarum aliorum et ornatarum, et ad coronas regum et sublimium faciendas, et magna libere facientes.

Venus est frigida et humida et fortuna. Et significat candiditatem, nitiditatem, precium, ludos verborum, diligere cantilenas, gaudia, illustraciones, risus, picturas, pulchritudinem, formositatem, pulsaciones instrumentorum ore pulsancium et cordarum instrumenta, diligere sponas, species ac res boni odoris appetentes; et agit somnia; ludum scaccorum et taxillorum provocat; cum mulieribus iacere desiderat et cum eis amorem firmare fiduciamque ab eis appetere; formosus apparere cupiens, amans libertatem, magnanimitatem cordis et gaudium; abhorret iram, rixas, vindictas et legalitatem; amicis appetit servare appetitum et voluntatem erga mundi iudicia; habet incessum ad falsa iuramenta; in cupiditate inclinatum; potum multum desiderat; coitum multum turpibusque maneriebus appetit indesinenter ac si fieret in locis non debite congruis, ut alique mulieres alii facere sunt assuete; diligere creaturas et pueros eisque bona facere, ad equalitatem in rebus intendere, diligere mercatores et vivere cum eis et amari a mulieribus; et ut sit ab hominibus dilectus; bene recipientem, intromittentem se in constructionibus coronarum, facientem stabilia et ex lapidibus operantem, facundiam dulcem habentem, despectorem mundi, nullum metum habentem ex eo, sustentatorem hominibus ne iram, rixam vel discordiam cum eis habere possit; cor debile designat et voluntatem in lite et preliis debilem denotat, et significat appetere omnia formosa composita que ipsius voluntati sunt conformia; facientem tincturas et ipsis in suis magisteriis operari diligentem, mercimonia vendentem, species et oraciones, observatorem legis, adherentem saporibus scienciam philosophiamque prohibentibus.

Mercurius est convertibilis, de una natura ad aliam se permutans, et est apprehendens naturam aliorum planetarum – videlicet cum bonis bonus, cum malis malus. Et significat sensum et intellectum rationabilem, bonam eloquenciam et intelligenciam rerum forcium et profundarum, bonum intellectum, bonam memoriam, bonam apprehensivam, agilitatem aptam ad sciencias docendas, in scienciis et philosophia laborantes, intelligenciam rerum eventarum, arismetricam, geometriam, astrologiam, geomanciam, nigromanciam, augurios, scribas, grammaticam, blande sermocinantes, levem apprehensionem erga petitiones sapientum, in scienciis laborantem

ipsisque scienciis cupientem exaltari, libros, versus, ritmos facere cupientem, librorum, computacionis, scienciarum scriptorem, secreta sapientum scire desiderantem, philosophiarum explanatorem, hominum misericordem, mansuetudinem, sensum et gaudia amantem, diviciarum prodigum et destructorem, mercimonia, empciones et vendiciones rerum facientem, cum hominibus in iudiciis et racionibus partes habentem, astutum et deceptorem, in eius voluntate mala cogitantem ipsamque occultam tenentem, mendaciosum, falsa instrumenta componentem, ex inimicis timidum, in cunctis operibus levem, in ceteris rebus instabilem ex diversis magisteriis, se intromittentem in omnibus, audacem in cunctis operibus que subtilitatibus fiunt, appetitu magno operantem, diviciarum lucratores, amicorum et hominum sustentatorem et eorum a cunctis illicitis deviatorem.

Luna est frigida et humida. Et significat incepciones operum, magnas rerum cogitaciones, bonum sensum et motiva, in consiliis optimas prolocuciones, bene loquendi iactanciam, in cunctis audaciam, circa victus necessaria et que appetit fortunatum, bonos mores cum hominibus, in cunctis actibus graciosum et levem, nitidum, ad que querit leviter moventem, sanam voluntatem et claram cum hominibus habentem, magnum appetitum comedendi, coitus et delectacionis mulierum parvitatem, a malis deviatorem et ut ab hominibus de se bene dicatur affectantem, gaudiorum et pulchrarum rerum dilectorem, circa sciencias altas et precio dignas quemadmodum astrologia, magica et alia secreta perscrutantem, coniugia diligentem, filios generare et nepotes cupientem eorumque societati et domus sue parentele bona facientem, amatum ab hominibus et honoratum, nequiciarum abhorrentem et in suis cunctis operibus iustum; et propter unam suarum qualitatuum maneriem oblivionem significat et necessitatem.

Qualiter loqui cum Saturno potest. Quando autem loqui cum Saturno desideras et ab eo quod volueris petere, oportet ut ipsum expectes donec ad bonum pervenerit statum, quorum melior est ut sit in Libra, que est exaltacio eiusdem, deinde in Aquario, qui est sui gaudii domus, ultimo in Capricorno, qui est ipsius secunda domus. Et si in aliquo trium locorum ipsum habere non poteris, ponas eum in aliquo suorum terminorum seu triplicitatum et in aliquo angulorum vel succedencium orientalem (quorum omnium medii celi angulus est eligendus), in suo cursu directum et in quarta masculina, orientalem existentem ut supra. Et caveas a suis damnacionibus et infortuniis, quorum deterior omnibus est aspectus ipsius ad Martem quartus; nec sit cadens. Et radix (in qua sis diligenter cautus) est ut aspicias planetam ipsum esse in bono statu et qualitate et ab infortunis remotum quoniam, quando sic se habuerit, est quemadmodum vir bone voluntatis et alacris cordis et large et ample voluntatis, a quo si aliquid petitur denegare petenti minime valebit. Et quando idem planeta est in suo cursu retrogradus vel cadens ab angulis, est veluti homo ira et mala voluntate repletus, a quo petita facillime denegantur. Et cum Saturnum in bona dispositione posueris ut superius est tactum, et volueris secum loqui et eundem orare, induas te pannis nigris, scilicet omnibus vestimentis que in tui corpore consistunt, necnon et capa nigra in modum doctoris incisa; et calciamenta tua nigra colore portabis. Deinde vadas ad locum tali operi deputatum et a ceteris remotum et humiliter appropriatum, humili voluntate ac ad similitudinem Iudei incedas, quia Saturnus fuit dominus coniunctionis eorundem. In tuaque manu annulum

ferreum teneas, et thuribulum ferreum tecum deferas, in quo carbones accensos ponas in quibus confectionem suffumigosam mittas, cuius compositionis forma talis est. Recipe opii, actarag (que est herba), croci, seminis lauri, carui, absinthii, succiditatis lanarum, coloquintide, capitis catti nigri partes equales. Terenda terantur, et incorporabis omnia ad invicem cum urina capre nigre; et facies ex eo licinium. Et cum volueris operari, ponas unam ex eis in carbonibus thuribuli accensis, alias reservando; deinde vertas faciem tuam versus partem in qua tunc fuerit Saturnus. Et dum fumus a thuribulo elevatur, hanc oracionem dicas. O domine alte qui nomen magnum habes et qui in superiori celorum omnium planetarum consistis, et ille quem Deus sublimem posuit et altum! Tu es dominus Saturnus, qui es frigidus et siccus, tenebrosus, actor boni, in tua amicitia veridicus, in tuis promissionibus verax, durabilis et perseverans in amicitia et inimicitia tuis; tui sensus longi et profundi; in tuis dictis et promissionibus veridicus, in tuis operibus unus, solus, ab aliis remotus, cum tristitia et dolore, a gaudiis et festivitibus remotus; tu es senex, ancianus, sapiens et boni intellectus depopulator, tu boni actor et mali. Miser et tristis est ille qui tuis infortuniis infortunatur, et bene fortunatus est ille qui tuas attingit fortunas. In te Deus potencias et virtutes posuit et spiritus bona et mala agendi. Rogo te, pater et domine, tuis nominibus altis et mirabilibus actibus ut mihi tale quid facias. Hic autem dicas tuam petitionem quam volueris, et proicias te ad terram, tuam faciem versus Saturnum semper habentem et cum humilitate, tristitia et mansuetudine. Et tua voluntas sit munda et firma in re quam petere proposuisti, et predicta verba multociens reiterabis. Et predicta facies in eius die et hora. Et scias quod tua peticio adimplebitur cum effectu.

Et sunt alii sapientes aliis oracionibus et suffumigacionibus Saturnum orantes, quarum compositio talis est. Recipe abrotani, seminis berici, iuniperi radicum, nucis, dactilorum veterum, cardinelle ana partes equales. Terantur et <misceantur> cum vino bono, veteri (scilicet multorum annorum). Et fiant pillule, et usui reserva. Et cum volueris operari, facias ut diximus supra, et ex hac suffumigacione ponas in thuribulo, tuam faciem versus Saturnum habendo. Dum autem fumus elevatur, dicas. In nomine Dei et in nomine Heylil, qui est angelus quem Deus viribus et potenciis Saturni proprie deputavit in frigidis actus cumulando. Tu vero in septimo celo es. Et te omnibus nominibus tuis invoco, quod est: in Arabico Zohal, in Latino Saturnus, in idiomate Feniz Keyhven, in Romano Koronez, in Greco Hacoronoz, in Indiano Sacas; omnibus autem nominibus istis te invoco et clamo. Et coniuro te per nomen Dei alti, qui tibi dat potenciam et spiritum, ut me acceptes meamque oracionem suscipias per obedienciam qua obedis Deo eiusque dominio, ut mihi tale quid facias. Hic autem dicas tuam petitionem, suffumigacione vero continue in thuribuli carbonibus existente. Et cum predicta semel dixeris, proicias te ad terram versus ipsum prout consistit in sua natura. Predicta enim verba multociens reiterabis, deinde facies tale sacrificium eidem. Decollabisque hircum nigrum, et eius sanguinem colliges et custodies; et extrahe eius epar, quod totum igne comburas, et reponas sanguinem. Et sic faciendo, veniet quod queris.

Quando loqui volueris cum Iove. Si cum Iove loqui volueris, ponas eum in bono statu prout diximus in Saturno. Deinde induas te pannis croceis et albis, et venias ad locum quem habeas istis operibus separatim humiliter et mansuete ad similitudinem heremitarum et Christianorum, zona precinctus

et annulum cristalli in quo sit crux in digito habens; et te cappa alba induas. Et accipe thuribulum unum ex metallis Iovis constructum, in quo ignem ponas accensum. Postmodum suffumigacio est apponenda; videlicet, recipe classe, storacis, pedis columbini, peonie, calami aromatici, resine, pini, seminis ellebori, partes equales. Terantur et incorporentur cum vino puro veteri (scilicet multorum annorum); et facias ex illis pillulas. Cum autem volueris operari, fac ut diximus et unam ex predictis pillulis in igne thuribuli proice. Et circumvolutus versus partem celi qua Iupiter fuerit dicas. Salvete te Deus, benedicte domine, qui es fortuna maior, calidus et humidus, equalis in omnibus tuis operibus, communis, formosus, sapiens, veridicus, dominus veritatis et equalitatis, ab omni malo remotus, pius, tenentium divinas leges amator et eis servientium, rerum mundi eiusque viciorum vilipensor, divine legis eiusque servicii dilector, altus in tuis voluntatibus, actor boni et in tua natura liber, in tuo celo altus et honoratus, in tuisque promissionibus legalis et in tuis amiciciis veridicus existis. Coniuro te, primo per nomina Dei alti qui tibi dat potenciam et spiritum, et per tuas voluntates bonas et tuos effectus formosos, tuam nobilemque naturam et preciosam, ut mihi tale quid facias. Hic autem tuam nominabis petitionem. Tu enim es bonorum et bonitatum minera omniumque bonorum factor. Omnes autem petitiones que in bono sunt formate exaudis.

Sunt etiam alii sapientes qui aliis suffumigacionibus et oracionibus ipsum Iovem orant, cuius suffumigacionis compositio talis est. Recipe policarie, thuris, Celtice ana partes equales, mirre partes iii, passularum mundatarum partes ii. Terenda terantur, et omnia cum vino plurium annorum incorporentur; et fiant pillule quas usui reservabis. Et cum opus fuerit, ponatur ex eis in thuribulo prout superius diximus in Saturno. Tu autem te induas ad modum fratris vel monachi, et super collum tuum unum ex libris legis ponas. Et ad locum in quo operaturus eris ibis humiliter et mansuete. Et volvas faciem tuam versus celum, ea parte qua fuerit Iupiter, et dicas. O Raucayehil angele, quem Deus cum Iove posuit! Tu, Iupiter, es fortuna maior, completa, ac boni et omnium rerum completarum factor. Tu vero es sensatus, sapiens et boni intellectus, a malis operibus, ab omni malicia et turpitudine remotus. Te enim cunctis nominibus tuis invoco et appello, ut in Arabico Misteri, in Latino Iupiter, in Feniz Bargis, in Romano Dermiz, in Greco Raus et in Indiano Huazfat. Coniuro te per spiritum et vires quas in te posuit Deus, per obedienciam qua obedis Deo et per tuas bonitates et effectus mirabiles et per tuam naturam bonam, nitidam et mundam ut mihi tale quid facias. Hic autem tuam petitionem dicas. Et prosternas te ad terram orando; et predicta sepius dicas et pluries. Postea accipies agnum album ipsumque decollabis et totum combures, et ipsius epar comedas. Et illud erit quod querere proposuisti.

Sunt autem alii qui Iovem absque suffumigacione orant ut a maris tempestate ipsius virtute valeant liberari. Et dixit Rasis E in suo Libro metaphisice: Ad evadendum tempore periculorum in mari vertas te versus Iovem, ipso in medio celi existente, et dicas. Salvete te Deus, nobilis planeta, alta stella, preciosa et honorata! In te enim Deus posuit potestatem et spiritus bona faciendi, et dandi formam corporibus mundi que in divina lege se intromittunt et vitam, et navigantes in mari adiuvandi, et eos in vita conservandi. Rogo te per fortitudinem quam in te Deus posuit ut mihi ex tuo lumine concedas et spiritu, quibus me iuvare possim, et abluas mundificesque

mei nature succida taliter ut meus sensus illustretur et spiritus ut res scire possim et intelligere. Et si opus tuum fueris debite secutus, ante te similitudinem candele videbis accense; quam si non videres, opus tuum non recte factum esse dinoscas. Ipsumque reiterabis quousque candelam ut supra videris accensam, et tunc erit quod queris.

Sed in quo maior pars sapientum concordat est ut pares te versus partem qua fuerit Iupiter, et dicas. Salvet te Deus, o Iupiter, planeta completus et nobilis nature, altus, honoratus, preciatu et dominus benignus, calidus et humidus et in tui natura aeri assimilatus, et equalis in tuis operibus, sapiens, veridicus, amator divine legis, sapiens et doctor et in ea credencium et custodiencium amator, veritatis ac legis veridice dominator, fortuna maior, lucens, completus, directus, equalis, in tuis iudiciis iustus, pietosus, altus, honoratus, scienciarum huius mundi contemptor, alte voluntatis, magnarum rerum sublimium et tua natura et voluntate nimium dilector, in dictis et promissionibus legalis, in tuis amiciciis veridicus, in bonitatibus completus et ab omni malicia et turpitudine remotus; nitidus es et timens Deum, fortitudinis spiritus dator et dominus bone legis et veridice, a cunctis malis operibus et dictis abstractus (tuus enim sensus et opinio est sensu, mansuetudine, intellectu et acuitate sustinere legem), sapientum et sapienciarum dilector, somniorum interpretator, leges divinas sustinencium amator, suorum amicorum eique inherencium sustentator, veritate et directe triumphator, regum, sublimium hominum, militum et regnorum dilector, diviciarum collector accumulatorque ut eas possis populo et Dei servicii eique beneplacitis largiri, hominum bene faciencium, leges Dei eiusque mandata observancium adiutor, promissionum ac dictorum legalis observator, populos ac populas terras et loca populata <...>, amator hominum, pietosus, eorum populacionum adiutor, fidelitatum custos, tripudiorum, verborum, affectacionum formosarum, iocundorum, risus, assidue locucionis, bone maneriei cum sensu, cum mulieribus bono modo et secundum leges iacendi amator, omnium malorum operum legibus adversariorum abhominator, bonorum actuum ut ad ipsos attingere valeamus insignitor; mala opera iubes abhorrere et ab eis sequestrari. Salvet te Deus, o planeta qui es a Deo iuvatus; tibi enim Deus pietatem dedit ac bonitatem. Spiritibus mundis Deo operantibus eiusque servicio viventibus – bona tribuis eisdem et eos ab omni malo et mundanis sollicitudinibus custodis. Tu autem es in undis maris procellosus, Deo supplicancium adiutor. Rogo te istis bonitatibus predictis nos nostrosque filios ac nostram societatem tuo lumine illustrare; ac viribus et spiritu tuo alto et honorato quem Deus posuit in te iuvare digneris, cum quo spiritu nostra corpora et negocia nostra salvare possimus et divicias augere et a nobis cogitaciones malas, tristiciam et miseriam removeere possimus ne in hoc mundo miseriam aut cogitaciones sollicitas habeamus; et quod larga abundancia et completa bonam vitam vivamus, et opera domino Deo nostro placencia faciamus; et quod tuis viribus et spiritu nostra corpora fortifices taliter ut sana absque infirmitate et dolore aliquo efficiantur sicut nostra vita protegatur, et cuncte infirmitates et occasiones male removeantur a nobis. Et virtutem tui spiritus sublimis, nobilis et alti supra nos infunde, qua a cunctis hominibus consequamur honorem, et nostrorum verecundiam habeant et metum, et nos diligant, et ab eis et terra necnon et ab hominibus nobis mala querentibus retrahere possimus taliter ne eorum dicta nec facta – nobis in aliquo suis dictis vel actibus valeant

nocere. Et etiam a nobis omnia mala cuiuscumque hominis vel bestie retrahamus, et gratiam divinam tuumque amorem habere possimus, qui nos tuo spiritu et virtute cooperiat, et bono cooperimento et formoso defendat, et bono aspectu nos aspiciat; et cum eo a cunctis huius mundi defendamur. Male loquentes procul a nobis eorumque maledicta cuiuscumque maneriei existant, et eorum oculi taliter obfuscentur ne nostras malicias et decepciones videre possint, et nec nostrorum male dicant, et nec nobis mala querant, et nec nos ex aliquo male facto vel dicto arguere possint. Et virtute nobili tui spiritus et altitudine defendamur et cooperiamur; et cum ea cordibus et voluntatibus hominum taliter aspicias ut omnes nos videntes nostris terreantur aspectibus et erubescant, et ab eis luceamur et honoremur quemadmodum solares radii qui sunt alti, sublimes et super omnia huius mundi honorati. Et adiutorium tue fortitudinis et spiritus nobis concede; ex quo sensum et intellectum divinas leges intelligendi habeamus, et eam facere possimus et ab ipsa iuari, et que Deo sunt placabilia et in sui servicio agibilia simus debite prosecuti. Et tui spiritus fortitudine nos sic cooperias ut per ipsam adiuvemur et defendamur, et ad divinam Dei, domini nostri, scienciam advenire possimus, in eiusque gratiam ingredi valeamus; et nos a terra maledictionis protegat et defendat, et ab huius mundi saporibus nos retrahat; et a superfluitatibus nature nostri sensus taliter depurentur ut cum naturalibus sensibus coniungantur, quod ad ipsius Dei sublimis et alti scienciam atque eius gratiam pervenire possimus. Et nos tuo spiritu bonis et rectis tramitibus taliter dirigas et perducas quousque spiritus nostri sint mundi et ab omni superfluitate et turpitudine depurati, et ipsi clari efficiantur; et ab omni mundano sapore malo, turpitudine et immundicia remaneant penitus inconcussi, tuaque potencia et spiritu sint cooperti ut ad mineram spiritus et sensus altam attingant et cum angelorum spiritibus divinaque gracia et eius servicio maneant in eternum. Per te enim nostre voluntates a cunctis corruptibilibus retrahantur et eterna attingamus. Deus autem per suam misericordiam nostra peccata, actus et maledicta parcat et remittat quousque spiritus noster sit suis similitudinibus unitus et a suis contrariis divisus ut nostram naturam nostrasque formas et figuras necnon et nostra nomina propria absque diversitate aliqua intelligere possimus quousque nostro spiritu ab omnibus miseriis requiescamus. Nostrosque spiritus ab omni succiditate nature abluas, et quibus modis bona huius mundi et alterius attingere valeamus ostendas. Amen. Tuis autem nominibus cunctis te invoco: videlicet, in Arabico Misteri, in Feniz Bargis, in Latino Iupiter, in Romano Harmiz, in Greco Biuz, ut meam recolligas oracionem meaque dicta recolligas, et per me petita complete digneris. Coniuro enim te per nomen Raubeil, qui est angelus quem Deus tecum posuit ad complendum spiritus virtutes sive potencias et effectus tuos, et per nomina Deryes, Ahatyz, Mahaty, Darquiz, Themiz, Carueyiz, Dehedeyz, Carnaduyz, Deme, et per seniore operum mundanorum, super omnia antiquum et altum, qui principio caret et fine, et omnium rerum principium. Per hec enim cuncta nomina te coniuro ut exaudias oracionem dictam et preces meas, et meam petitionem quam tibi feci impleas, et meam erga te mundifices voluntatem. Et nostro pauca et modica posse necnon et nostre nature nostrorumque actuum fragilitate te rogo, et in meis cunctis negociis ad te tuumque spiritum ego recurro, qui mundet et purget meam erga te voluntatem et me ad te rogandum cum humilitate ac bona voluntate disponat, tuo nomini et spiritui serviendum. Ego autem scio et cognosco tuum dominium et potenciam,

eique sum obediens. Tu vero oracionem et dicta mea tua bonitate exaudias, et omnes petitiones meas ut sunt per me facte sine aliquo defectu, et ea que in petendo per nos oblivioni sunt tradita, complere digneris. Et in tua bonitate et nobilitate partem concedas, et nos tuo spiritu et lumine tue sublimis voluntatis honorate cooperias ut ex eo potenciam habeamus qua nostra negocia rectificare possimus, et in diviciis devenire. Et a nobis nostrisque facultatibus cupiditates hominum distrahamus, ex quo hominum amorem acquirere possimus quousque erga eos nostra negocia bene sint recepta, et nostris iudiciis nostrisque mandatis cuncti obediant. Regum autem gratiam et eorum dilectionem necnon et egregiorum virorum et inimicorum acquiramus, et in omnibus nostris actibus et dictis recti et veridici reputemur; et cordibus a voluptatibus mundi <mundis> eiusque viciis percipiamus. Predictas vero petitiones omnes nobis adimplere placeat per fortitudinem tuam et spiritum preciatum, nobilem et altum quem in te Deus posuit ad bene faciendum et pietatem creaturis habendum et hominibus mundi victum tribuendum. Quero te tua pietate, et per tuas magnas nobilitates honoratas, et tuis actibus nobilibus et preciosis et lumine quod a Deo nostro recipis, qui est dominus universi, ut hanc oracionem meam advertas, et ad ipsam te vertas, et eam quam in corde et voluntate recludo intendas quamvis ore non profero. Et mihi tuis viribus et spiritu virtutem et intellectum concedas, quo percipere possim petitionem meam a te esse benigne susceptam, et nos tua pietate iuvare proponas; et a nobis sollicitudines et tristicie amputentur. Et nobis ex tua fortuna durabilem concedas fortunam que per tempora universa perduret nobiscum. Nam te tuis nominibus coniuro et tua pietate, bonitate et nobilitate, ut sis rogator mei coram nostro domino Deo, precioso et tocius universi domino, ut petitionem meam impleat cum effectu, et ad id quod quero sine labore et tristicia leviter attingam, necnon et habeam regum et terre dominorum et in terra potencium omniumque creaturarum racionabilium et irracionabilium gratiam. Coniuro te per dominum Deum nostrum, qui est solus in mundo Deus tam mundi preteriti quam futuri, ut temetipso et tuis viribus nobilibus rogem in hac mea oracione petens ut salutaciones completas habeas semper a domino universi eiusque pietatem et gratiam per infinita secula seculorum. Amen. Et ad mundam voluntatem et salvam erga dominum Deum nostrum habentes amen.

Sapientes autem qui in hac sciencia sunt operati dixerunt quod qui predictum opus ut supra diximus fecerit Iovi dicendo omnia que hactenus sumus locuti, quod virtus et potencia spiritus Iovis attinget ad eum, et omnes eius petitiones complebuntur in mundo, et per totum ipsius anni circulum sanus erit et incolumis in corpore, absque detrimento et infirmitate, et erunt cuncti homines eidem obedientes, et omnia que facere proposuerit complebuntur eidem leviter, cum effectu et diligenter, et ab universis bene recipietur hominibus, et maxime si Iupiter habuerit in eius nativitate potenciam. Et scias quod quanto magis humiliter et mansuete peregeris dum predictum opus feceris erit melius dum habueris voluntatem mundam et nitidam et a cunctis rebus mundi remotam, neque in mundanis cogites vel occuperis nisi in opere proposito. Eicias enim te in terram, frontemque tuam per ipsam trahendo tuam oracionem eris humiliter dicturus, quoniam in omnibus magnum adiutorium ad tuam petitionem complendam habebis. Quando orare volueris Martem. Quando rogare volueris Martem ipsique loqui et honorare, ponas ipsum in bono statu ut supra diximus in Saturno. Et

induas te pannis rubeis, et in tuo capite pannum lineum vel sericum rubeum necnon et rubeum galerum in capite ponas, et in tuo collo ensem deferas, et munias te omnibus armis quibus poteris muniri; et in forma hominis litigantis vel militis accingas, et ponas anulum ereum in tuo digito. Et thuribulum ereum cum accensis carbonibus accipe, in quibus hanc suffumigationem ponas. Recipe absinthii, aloes, squinanti, euforbii, macropiperis, nasturcii partes omnium equales. Omnia terantur et cum humano sanguine misceantur. Facies enim pillulas ex eisdem quas usui reservabis. Cum autem incipere volueris operari, ponas unam ex ipsis in thuribulo, quod ad locum remotum ad hoc specialiter deputatum tecum portabis. Et cum ad ipsum perveneris, erigas te in pedibus et dicas secrete, audacter et sine aliquo metu versus partem meridiei, in qua tunc sit Mars fortunatus et in bono esse ut supra in aliis diximus, ipsumque semper aspiciendo. Et cum fumus elevatur, dicas. O Mars, qui dominus es honoratus et es calidus et siccus, valens, ponderosus, corde robustus, sanguinis effusor ipsiusque infirmitatis dator! Tu es fortis, roboratus, acutus, audax, nitidus, agilis, dominus preliorum, penarum, miseriarum, vulnerum, carcerum, mesticiarum, rerum mixtarum et separatarum, qui non habes timorem nec cogitationem alicuius rei, et unus coadiutor in tuis effectibus et circa ipsas inquisitiones, fortis estimacionibus et voluntatibus vincendi et ad fortunandum inquirentes, actor litis et preliorum, male agens debili et forti, amator filiorum preliorum, malorum hominum et in mundo mala agencium vindicator. Rogo te et coniuro tuis nominibus et tuis qualitatibus in celo existentibus tuisque devictionibus, tuis eciam petitionibus domino Deo qui in te posuit potenciam et fortitudinem, colligit te et separat ab aliis planetis ad habendum fortitudinem et vires, super omnibus victoriam magnumque vigorem.

Queso te per cuncta nomina tua: videlicet, in Arabico Marech, in Latino Mars, in Feniz Baharam, in Romano Bariz, in Greco Hahuez et in Indiano Bahaze. Coniuro te per Deum altum universi ut meam oracionem exaudias petitionemque animadvertas, meam eciam humilitatem videas et meam petitionem compleas. Et rogo ut mihi tale quid facias. Hic autem tuam petitionem qualiscumque fuerit dicas. Et postea dicas. Coniuro te per Raucahehil, qui est angelus quem Deus tecum posuit ad complenda tua negocia et effectus. Et semper cum predicta dixeris, fumus ex thuribulo continue elevetur, et predicta multociens reiterabis, et que volueris petas. Postea leopardum si poteris habere decollabis, si non muscipulum, quem decollatum combures quemadmodum in aliis diximus supra eiusque epar comedas. Et id quod volueris adimplebitur.

Sed cum volueris petere res que ab inimico tibi fuerint ablate, vel ipse tibi male fecit et volueris ex ipso vindicari, munias te armis, et induas te sicut diximus supra, et venias ad locum superius memoratum thuribulum tecum portans et suffumigationem. Et cum fumus elevatur, dicas. O Mars, qui de natura ignis ardentis es, bellorum et laborum auctor, sublimium hominum depressor et eorum ex dignitatibus et statibus deponitor, furoris, ire ac malarum voluntatum in cordibus malorum hominum existencium accensor, mortalitatis, interfectionis hominum ad invicem, effusionis sanguinis, incestus mulierum factor, sublimitatum et elevacionum hominis supra hominem, offendendi et defendendi operator! Nunc quero tibi ut me protegas et defendas qui tecum iungitur eidem. Es fortis, calidus in tuis operibus et potens, nec te retrahis ab illo qui te petit et rogat. Queso tibi cunctis tuis

nominibus, maneriis, operibus, motibus et viis in tuo celo existentibus, tuo lumine et tue dominacionis et regni virtute ut advertas in me et meam petitionem exaudias. Ego de tali conqueror qui mihi sua superbia et voluntate mala iniqua agit et querit. Tu es autem imperator ad te recursum habencium, tu agis et comples petitionem te rogantis. Rogo te per lumen, fortitudinem et potenciam quam in te posuit Deus, tocius mundi dominus, quod tu unam ex tuis furiis super talem inimicum meum transmittas taliter ut separetur a me et habeat in suis cogitacionibus illud ut mei non sit memor nec cogitet in me; et ei mittas aliquam maneriem penarum et miserie ut vindictam maiorem et deteriorem quam accipere possim ex eo capiam, et eius manus et pedes per me abscindantur ab eo; et ei per me omnia mala et miserias inferre, ac iram et furorem regis; tam in eius corpore quam diviciis per me fundantur et latrones et depredatores; ac in sui corpore apostemata et infirmitates calidas et magnam cecitatem oculorum et aurium clausuram paciatur; et omnes eius sensus damnentur quousque cecus, surdus et mutus efficiatur et in omnibus suis membris contractus; et ei dare penas et miserias longinquas, cibos et potus et omnes sapes ei vitare; ac vita privetur; et eidem omnes maneries miserie et penarum inferre, et in sui corpore, diviciis, societate et filiis vindictam inferre eidemque iram et furorem regis et eius inimiciciam hominum vicinorum et parentum infundere, latrones in eius dominium transmittere et vicos et ubicumque pergat tam per mare quam per terram immittere. Et predicta cito adimpleantur cum effectum; et ipsum de suo honore et statu auferas. Tu es ille fortis, furoris ac malorum operum actor. Coniuro te per tuas fortitudines et per tuos malos effectus et fortes cum illis qui generacionem mutant, alterant et corrumpunt et cum illis qui agunt contra pergentes in mari et mala hominibus faciunt et qui laborant in istis tuis operibus. Et coniuro te ut meam petitionem exaudias et quod rogo valeas adimplere ac mei miserearis et malorum operum que mihi agit vir iste pro quo tibi preces infundo. Et coniuro te per Raubeyl, qui est angelus quem Deus universi tecum posuit ad omnes tuos effectus et potencias adimplendas. Et coniuro te per spiritum tuum, illum videlicet qui damnat navigantes in mari, et per fortitudinem quam in cordibus furiosorum hominum et bellorum appetencium, interficiencium tandem, quod in rebus arduis et bellis durissimis ingrediuntur, infundis. Et cum hoc toto ego te coniuro ut meam oracionem audias, et in meis negociis advertas, et mihi fortitudinem tui spiritus concedas, quo oracionem meam quam exaudivisti dignoscam; honorem completum a Deo recipias, qui est dominus mundi universalis. Tu es bonorum et in bonis incidencium imperator, et in malis pergentibus penarum et miseriarum prout merentur dator et factor. Amen. Amen. Et iterum coniuro te per nomina Dayadebuz, Heyaydez, Handabuz, Maharaz, Ardauz, Beydehydiz, Mahydebyz, Deheydemiz, ex quibus omnibus te coniuro ut meam impleas petitionem, et in meis rogacionibus advertas, et in meis fletibus et lacrimis habeas pietatem, et mea impedimenta sanes, et a malis et insidiis istius hominis et ceterorum mihi mala querencium protegas et defendas. Et coniuro te per Deum altum tocius firmamenti ac magne potencie et dominacionis, nominum preciatorum et bonorum dominum, et tocius vite mundi datorem, qui vitam et mortem, finem et durabilitatem creavit. Ipse enim est qui remanet et durat per infinita secula seculorum, carens principio et fine; quo Deo te coniuro ut hac hora et tempore meam compleas petitionem. Amen. Amen. Tamen ista semper super fumum thuribuli dicendo hec verba multociens reiterabis; et

implebis intentum. Et si unam ex eius bestiis decollaveris dictamque cremaveris igne et ex ea ut ex aliis fecisti facias, magis securus eris ut tua peticio adimpleatur.

Ad vindicandum se de inimico. Sapientes antiqui ista propria manerie vindicationis stellis iuxta polum existentibus, videlicet Benethnays, faciebant, que stelle in constellationibus Urse consistunt. Oraciones vero istius maneriei fundebant. Quando habueris inimicum tibi male facientem vel querentem et ei penam et miseriam transmittere volueris ut in te nullam cogitationem habeat, ut ex eo opere te vindicare possis, ingrediaris domum quam huic operi constructam habebis, et vertas faciem tuam versus partem celi in qua tunc fuerit Benethnays. Et proicias in carbonibus thuribuli accensis ex suffumigatione eius que inferius compilatur. Et dum fumus elevatur ad superiora, dicas. Salvete te Deus, Benethnays maior, que es in tuo statu alta et in firmamento formosa. Te rogo et coniuro per potentiam quam in te Deus omnium conditor posuit ut transmittas tali spiritum qui in eius corpore taliter ingrediatur ut eius corpus ligetur et innodetur sic quod omnia eius membra damnentur et ipsius omnes sensus ad nihilum reddantur, ut visu, auditu et omnibus sensibilitatibus, incessibus, locutione, comestione, potu, delectationibus omnium rerum et vita careat omnino, et quod vos, stelle de Benethnays, ipsum prosternatis ad mortem et cuiuscumque maneriei miserias eidem influatis a partibus quibuscumque; et in eius oculis videat laborem et tristitiam, iramque et furorem regum et victoriam inimicorum, ferarum atque bestiarum; et in malevolentiam vicinorum et parentum eum venire iubeatis, et vindictas super eum asperas et manifestas per universum breviter faciatis, et super ipsius corpus et eius domos diruatis, et ex altis locis precipitem ipsum diruatis; eius oculos salire faciatis, manus eius et pedes dirumpatis et omnia eius membra damnetis, et super ipsum forciores et extremam miseriam ac forciores penas que in homine possint evenire inferatis, et ipsum a Dei misericordia et pietate divertatis, nec ullam pietatem de eo habeatis nec eius impedimenta cooperiatis; et quemadmodum per ipsum vos rogo velociter faciatis. Et erga vos mea libenter voluntas propter magnam miseriam quam sustineo per ipsum et propter quod mala mihi absque aliqua rationabili causa fecit et inquisivit. Vos estis stelle que petitiones et supplicationes vobis factas impletis cum effectu, et qui ad vos habet recursum defenditis et paratis. Tum rogo vos ut in prefatum hominem vestram potentiam et spiritum magno furore et ira infundatis, et omnes penas superius nominatas in ipsum velociter transmittatis eo quod habeat penas, miserias et dolores magnos, et male tractetur a cunctis ipsum videntibus, despiciatur, magnasque infirmitates et dolores in cuncta eius membra infundatis, et ipsum motu moveatis quo in penas quas vobis dico et miserias incidatur. Ego autem vos coniuro per vestram potentiam et spiritum ut mea petitione memoretis, et mearum lacrimarum miseremini, et mihi vestri spiritus potentiam et intellectum concedatis ut percipere possim quod in mea petitione effectualiter advertistis. Ego autem vos coniuro per Deum magni firmamenti et alte potentie et per illum videlicet qui super cunctas creaturas mundi et celestes dominium habet et posse, qui quidem est ipse Deus, ut meam impleatis petitionem et quod nunc rogo punctualiter faciatis per nomina ipsius domini excelsi qui est Deus et eius potentiam eiusque virtutem ut hanc meam petitionem compleatis, et in meis dictis et verbis firmiter inspiciatis. Cum autem predicta omnia dixeris hoc modo, prosternas te ad terram; predicta

multociens dicendo reiterabis. Et semper fumus continue ex suffumigacione elevetur, que suffumigacio sic componitur. Recipe storacis, incensi muscati, ilicis, ligni aloes ana 3 i, spice nardi, masticis ana 3 i. Terantur omnia et cum optimo vino incorporentur, et fiant pillule. Cum autem per ipsas poli stellas volueris operari, usui tuo reservabis.

Cum orare volueris Solem. Quando Solem orare volueris et aliquid ab ipso petere, sicut esset petitio gracie regis et amoris dominorum, et dominaciones et huiusmodi acquirendi, fortunabis Solem ipsumque in ascendente ponas, et hoc in die et hora eius. Et induas te regalibus vestibus, sericis et croceis cum auro mixtis, et in tuo capite coronam auream ponas, in tuo vero digito anulum aureum deferas; et in forma sublimium hominum Caldeorum te parabis quia eorum ascendente fuit dominus. Et ingrediaris domum sequestratam et operi deputatam, et dextram tuam super sinistram ponas, et aspicias Solem verecundiose et humili aspectu quemadmodum timidus et verecundus aspicit. Deinde thuribulum aureum accipias formosumque gallum formosum collum habentem, supra quod collum candelam ceream parvam accensam ponas, que sit in capite unius ligni magnitudinis palme situata; et in igne thuribuli ponas suffumigacionem inferius nominatam. Et dum Sol elevatur, versus ipsum revolvat gallum; fumo vero thuribuli continue ascendente, dicas. Tu qui es radix celi et es super omnes stellas et super omnes planetas, sanctus et honoratus, rogo te ut petitionem meam exaudias, et mihi gratiam et amorem talis regis et ceterorum aliorum regum concedas. Coniuro te per illum qui tibi lumen tribuit et vitam. Tu es lumen mundi. Invoco te cunctis nominibus tuis: videlicet, in Arabico Yazemiz, in Latino Sol, in Caldeo Maher, in Romano Lehuz, in Indiano Araz. Tu es lux mundi et eius lumen; in medio planetarum existis. Tu es qui generacionem tua virtute et calore facis in mundo, in tui loco sublimatus. Peto te tua altitudine et voluntate ut sic me iuvare digneris quod talis rex et ceteri alii reges terre in altum et sublimem locum me ponant ut dominacionem atque altitudinem habeam quemadmodum tu es ceterorum planetarum et stellarum dominus, et a te eorum lucem et lumen recipiunt. Queso te qui es radix totius firmamenti ut erga me habeas pietatem, et in meis precibus tibi factis et oracionibus advertas. Et dum fumus elevatur, hec verba sis allocutus. Suffumigacio autem huic operi necessaria est quam suffumigacionem heremitarum appellamus, et que suffumigacio (prout sapientes antiqui dixerunt) habet opera magna et mirabilia. Et ex 31 speciebus componitur, cuius compositio talis est. Recipe policarie, bdellii, mirre, laudani, enule, siseleos ana 3 vii; Celtice, poli Indici, pinearum mundatarum ana 3 iii; radicis lili, cardomelle, cardamomi, calami aromatici, incensi, corticis nucis muscate ana 3 v; rosarum desiccatarum, croci, spice nardi, radicis cappari, pentafilon ana 3 iiiii; ungule aromaticae, grani balsami, epithimi ana 3 ix; squinanti 3 i; seminis cucurbite, amomi, terebentine, pulveris dactylorum, passularum mundatarum ana lb. ii, mellis despumati lb. v. Terenda terantur et cum optimo vino incorporentur, et fiant pillule; et Solis operibus reservabis, ex quibus suffumigabis dum Solem predicta oracione orabis. Qua finita, gallum decollabis et eius epar comedes. Et ex eo per omnia facias prout fuimus superius in aliis allocuti, et habebis intentum.

Sed suffumigacio Solis et eius oracio meliores sunt huiusmodi fiende. Induas te pannis supra memoratis et in forma quam diximus supra te parabis,

et in igne thuribuli hanc suffumigationem apponas. Recipe croci, storacis, incensi, nucis muscate, litargiri, balaustie, ligni aloes, saxifrage partes equales. Terantur et incorporentur, et fiant pillule quas usui reservabis. Et cum opus fuerit, ponas ex eis in carbonibus thuribuli accensis. Et dum fumus elevatur, dicas. Salvet te Deus, Sol, tu qui es fortunatus et fortuna maior, calidus et siccus, luminosus, resplendens, nobilis, formosus, altus et honoratus rex super omnes stellas et planetas. Virtus pulchritudinis, subtilitas, bona dispositio, veritas, sapientia, sciencia, divicie, que tua acquiruntur virtute, in te roborantur. Tu es dominus sex planetarum, qui tuo motu diriguntur, et tu super ipsos regnas et super eos regnum et dominium habes, et ipsi tibi obedientes existunt et se ipsos in tuo aspectu vilipendunt taliter quod quando tibi suis motibus coniunguntur statim obedientes tibi tuo lumine redundant, et quando corporaliter tibi coniunguntur tuis radiis comburuntur, et a nostris aspectibus occultantur omnino; et omnes ipsi tuo lumine, virtute et splendore lucent. Tu super omnes potencias habes. Tu es rex, ipsi vero vasalli. Tu das lumen et potenciam omnibus ipsis, et ipsi a te recipiunt fortunam et fortunati efficiantur cum a te bono aspectu aspiciuntur; et cum a te malo aspectu aspiciuntur fortunam amittunt et infortunati redduntur. Nullus vero est qui omnes tuas bonitates et nobilitates, que sunt nostro intellectui infinite, percipere possit omnino. Dum autem predicta hoc modo fueris allocutus, proicias te ad terram et faciem tuam versus Solem vertas, [et] predicta verba multociens reiterando. Et ex aliquo animali Solis sacrificium facies secundum quod in aliis planetis superius fuimus locuti, et habebis intentum.

Oracio alia autem Solis, quam sapientes asserunt esse pro regibus, potestatibus et altis hominibus quando eorum potencie et regna dirimuntur et ad suos status pristinos vellent redire. Que quando pro predictis vel similibus volueris operari, primo ponas Scorpionem in ascendente, Sole aspiciente Martem. Et accipe unum thuribulum aureum, in quo ponas ignem de carbonibus ilicis; et in tua manu grana ambre teneas ad magnitudinem cicerum, que in igne thuribuli proicias unum post aliud subsequenter. Et dum fumus elevatur versus Solem (scilicet dum fuerit in medio celi), te vertas ad eum et dicas. O Sol, tu qui es minera diviciarum, incrementum fortitudinis et decoracionis vite et altitudinum radix omniumque bonitatum incepicio! Ego dispono in te totam meam voluntatem, et cum ipsa in tuis manibus totum me pono. Rogo te propter meam depressionem et defectum et mee potencie diminucionem et propter quod homines supra me letantur et me secundum meum statum non licentur. Coniuro te per dominum Deum altum, qui tuorum motuum est motor et tue potencie dator, qua tuos actus complere potes, et propter obedienciam quam isti domino ad obediendum habes, et propter rationem iuvandi et salvandi <quam> tibi tueque voluntati <se> proicientibus habes (videlicet qui te orant et tibi munda et nitida voluntate supplicant), et propter dominium et posse quod super alios planetas tibi Dominus concessit, ut in me advertas, et liberes meam voluntatem, et ab ea sollicitas cogitaciones et tristicias auferas, et me in meo posse, statu et baylia reducas, et una particula hominum huius mundi obediencie et meo dominio veniat; potenciam et fortitudinem tuarum altitudinum et nobilitatum, quibus fortunam et posse habeam omnibus operandi ut mihi obediant, tribuere digneris. Coniuro te per tuas nobilitates absconsas et coopertas, et per iuvamentum quod in motibus ordinem habes, et per influenciam, potenciam, fortitudinem et opera que in generacionibus mundi habes, et per tuam

pietatem que parvulos attingit, et per tuam fortunam que magnates attingit, et per tuam fidelitatem et legalitatem quam erga dominum Deum habes, qui tibi posse tribuit, et per debitum quod iuvandi habes ad te currentes et rogantes, et per vias et tramites celi que nullam similitudinem habent in terra, ut meam oracionem exaudias et rogacionem intelligas et in meis dictis advertas et meas petitiones compleas cum effectum. Et salvacionem completam habeant omnes mundam et nitidam voluntatem habentes erga te. Et dum ista dixeris, vestibus quibus superius diximus sis indutus, versus Solem stando, et cetera alia ibidem tacta observabis, et habebis intentum.

Cum orare volueris Venerem. Quando orare volueris Venerem et aliquid ab ipsa petere ex rebus pertinentibus eidem, aspicias ut sit ab infortunis remota, directa et non retrograda et in bono statu. Postea induas te et ornabis te ex uno eius duorum ornamentorum, quorum melius est indumentum et ornamentum aliorum virorum Arabum. Et pannis te induas albis, et in tuo capite cottam albam portabis, quia est signator eius. Aliud est ornamentum quemadmodum afaytamenta mulierum. Et induas te pannis magnis sericis et auro mixtis, preciosis et pulchris, et in tuo capite ponas coronam preciosis margaritis et lapidibus ornatam, et in tua manu anulum aureum cum lapide margarite ornatum, et in tuis brachiis armillas aureas portabis; et in tua dextra speculum accipies, in sinistra vero pectinem deferes. Et ponas ante te urceum vini; et in tuis vestibus ponas pulverem specierum aromaticarum et bene redolentium et muscatum quemadmodum mulieres faciunt. Deinde accipias thuribulum auro et argento mixtum, in quo carbones accensos ponas; in quibus suffumigationem quam in posterum dicemus proicias. Et dum fumus elevatur, dicas. Salvete te Deus, o Venus, que es domina et fortuna, et es frigida et humida, et in tuis effectibus et complexione equalis, munda et formosa et boni odoris, pulchra et ornata. Tu es domina ornamentorum, auri et argenti; tu diligis amorem, gaudia, ornamenta et ioculationes, mundiciam, cantilenas et instrumenta que ore et cordis cantantur, et cantus punctis et organis musicis cantatos, ludos et solacia, requiem et amorem. Et in tuis effectibus consistis equalis. Tu diligis vina, requies, gaudia, cum mulieribus iacere, que quidem tui naturales effectus consistunt. Ego te invoco cunctis tuis nominibus: videlicet, in Arabico Zohara, in Latino Venus, in Feniz Anyhyt, in Romano Affludita, in Greco Admenita, in Indiano Sarca. Coniuro te per dominum Deum, alti firmamenti dominum, et per obedienciam quam ipsi Deo facis, et per potenciam et dominacionem quam supra te habet, ut meam oracionem advertas, et meam petitionem recolligas, et mihi tale quid facias. Hic autem tuam petitionem dicas. Et coniuro te per Beyteyl, qui est ille angelus quem Deus tecum posuit pro complendo omnes vires et effectus tuos. Dum vero predicta dixeris, ad terram te contra ipsam proicias, et predicta dices dum steteris ad terram prostratus; deinde te elevabis, et predicta verba reiterando dicas. Quo peracto, columbam et unam turturem decollabis, et eorum epata comedas; corpora vero igne memorati thuribuli comburantur. Et dum predicta feceris, suffumigacio continue sit in igne thuribuli, cuius compositio talis est. Recipe ligni aloes, galle, costi, croci, laudani, masticis, corticum papaverum, foliorum salicis, radicem lili partes equales. Terantur omnia et cum aqua rosacea incorporentur; et fiant pillule ad cicerum magnitudinem, quas in igne thuribuli proicias quousque opus tuum fuerit completum ut supra.

Oracio Veneris ad amorem. Sed oracionem Veneris ad amorem inter duos

homines necnon et inter maritum et uxorem facias hoc modo. Induas te et ornabis ut supra diximus, et observabis status Veneris et alia quemadmodum sunt superius enarrata, et in igne suffumigacionem que sequitur ponas. Recipe galle, cardelli piperati ana 3 v, passularum, thuris, masticis ana 3 ii et β. Terantur omnia et cum aqua pluviali incorporentur; et ad cicerum magnitudinem fiant pillule, ex quibus in ignem unam, deinde aliam proicias, et sic successive usque ad finem operis ne fumus in aliquo tempore operacionis deficeret. Et dum fumus elevatur, dicas. O Venus, tu que es spiritus amoris et ordinacio amiciciarum et ornamentum coniunctionum! Ex te virtus saporis et amoris procedit, et de te amicicia bona et dilectio inter homines fluunt, et per te cumulantur spiritus mala querentes et bene querentes redundant. De te radix coniunctionum amoris inter homines et mulieres procedit. Ex te est radix generacionis. Tu attrahis spiritus unius versus alium, et per te coniunguntur; ad amorem spiritus ad invicem disponuntur, ac tua virtute amores generantur. O Venus, tu que es formosa, tu que das virtutem coniunctionis amoris quibus velis tibi petentibus! Peto a te per tua nomina, per nomen Dei sublimis et alti, qui te creavit et te in tuo celo movet, et per lumen tuum et per tui regni et potencie firmamentum, ut meam oracionem et petitionem exaudias, in qua ex mala voluntate quam erga me habet et vult talis, ac miseria, labore et tristicia que ex sui inimicia et mala voluntate et que bona a me divertuntur – ista de causa sum conquestus. Rogo et supplico ut predicta in me revertas cum sui amore et amicicia, et peto ut ex tuis spiritibus et potenciis supra se eiusque spiritum transmittas ac super spiritum sue quiditatis, sue oracionis, et omnes sui spiritus et voluntates per te versus me dirigantur; et hoc motu et potencia forti erga me moveas quemadmodum sunt motus ignis et posse ventorum impetuosorum. Coniuro te cum tuis spiritibus – que es in tuis amiciciis et amoribus veridica et in tuis societatibus formosa et firma – qui amores et coniunctiones faciunt et potenciam delectacionum et viciorum in spiritibus movent et amorem faciunt – per omnia ista te coniuro ut exaudias et advertas hanc meam petitionem et oracionem. Te autem coniuro per Beyteyl, qui est angelus quem dominus Deus noster tecum posuit ad vires et effectus tuos implendos. Et coniuro te per tuum spiritum cum quo in tuis operibus vires et potencias habes. Coniuro te per tuum lumen et lucem ut cordibus et voluntatibus infundas [ad habendum] desideraciones saporum, viciorum et amiciciarum, quod tu in meis negociis advertas et meam petitionem recipias, ut meum desiderium in petitis adimpleas et de tuo lumine, potencia et amore mihi transmittas quibus mee petitionis exaudicionem per te factam in predictis percipere possim. Tu autem que corda coniungis, amores et benevolencias coniungis, componis, gaudia, solacia et delectaciones adimpleas, salutaciones completas et integras habeas in eternum. Amen. Cum autem predicta dixeris et feceris ut supra, sacrificium facias ex columba alba, cuius epar comedas. Residuum vero concremabis, cuius cinerem reservabis; et ipsum cui volueris dabis in cibo, et ab eo eris bene dilectus.

Quando volueris orare Mercurium. Cum orare volueris Mercurium et ex petitionibus sibi pertinentibus petere volueris eidem quemadmodum sunt petitiones scribarum et regibus regencium, induas te veluti notarius et scriba, Luna Mercurio coniuncta, et te in omnibus tuis actibus velut scriba contineas, et in tuo digito ponas anulum Mercurii mortificati quoniam tali annulo sapiens Hermes erat operatus. Et sedeas te super cathedram magistralibus

cathedris similem, et veritas faciem tuam versus eum, cartam in tuis manibus tenens in similitudine ac si in ea scribere velles. Et suffumigationem eius habeas appropriatam in thuribulo Mercurii mortificati igne repleto, in quo eius suffumigationem ponas. Et dum fumus elevatur, dicas. Salvete te Deus, Mercuri bone domine, tu qui es veridicus, sensatus, intelligens et in omni manerie scribarum, arismetrice, computacionis, sciencie celorum et terre sapiens et infusor! Dominus nobilis es et modice leticie, diviciarum, mercacionum, lucrorum, sensuum profundorum dominus et sustentator ac subtilis intellector. Tu es propheciarum prophetarum eorumque sensus, racionis, doctrine, sciencias diversas apprehendendi, subtilitatis, intellectus, philosophie, geometrie, celorum et terre scienciarum, divinacionum, geomancie, poetice, scribendi, bene loquendi, agilitatis sensus, profunditatis in omnibus magisteriis et actibus, levitatis, de uno negocio in aliud negocium mutandi, mentiendi, se limpidum sive nitidum preparandi, sustinendi, hominibus adjuvandi et cum ipsis bene se continendi, pietatis, sensus, tranquillitatis, a malis divertendi, bone legis erga Deum et legalitatis hominibus dispositor et significator. Tu te tua subtilitate taliter latitasti quod tuam naturam scire nec determinare tuos effectus aliqui minime possunt. Tu cum fortunis fortuna es et cum infortunis es infortuna, cum masculis masculus, cum feminis vero femina, cum diurnis diurnus et cum nocturnis nocturnus existis et concors eisdem in cunctis eorum naturis, et cum eis te conformas in omnibus suis formis, et in omnibus suis qualitatibus te transmutas. Deinde rogo te et cunctis tuis nominibus invoco: videlicet, in Arabico Hotarit, in Latino Mercurius, in Romano Haruz, in Feniz Tyr, in Indiano Meda. Coniuro te primo per dominum Deum altum, qui est dominus firmamenti et regni alti et magni; per ipsum te coniuro ut meam petitionem recipias, et mihi compleas quod tibi peto, et vires tui spiritus super me fundas, quo sim roboratus, et me iuvare possim in meam petitionem complendo, et addiscendo sciencias et sapiencias aptus sim et dispositus. A regibus quidem et altis hominibus me dilectum facias et bene receptum, altum et honoratum a cunctis hominibus me facias et regibus secretum ut me liceantur, et verba mea suscipiant cum effectum, et me indigeant, et a me petant sciencias et sapiencias in redditibus, arismetrica, astrologia et divinacionibus. Et in me taliter opereris et sic me disponas ut in predictis proficuum suscipere possim et divicias, honores et excellenciam coram regibus, altis hominibus et cunctis recipere possim. Et propter hoc te coniuro per Arquyl, qui est angelus quem tecum posuit Deus ad tuos actus et opera complenda, ut meam impleas petitionem et meam oracionem exaudias et in meis rogacionibus advertas et ipsas adimpleas. Et peto ut me tuo spiritu iuves et fortifices et me regibus tuo spiritu et potencia in amore coniungas, et sciencias et sapiencias tua virtute attingam; et tuo adiutorio sic me iuves ut sciam ea que non scio, et que non intelligo intelligere possim, et ea que non video videre possim; et a me necessitatem et ea quibus minuitur intellectus et augetur oblivio removeas et infirmitatem, quousque ad gradum sapientum antiquorum sublimium (illorum videlicet qui suis spiritibus et voluntatibus sciencias habuere et intellectum) attingere possim, et spiritui meo tuam potenciam et spiritum transmittas, qui me elevelvet, et statum prefatum attingere faciat, et me in scienciis et sapienciis et in cunctis actibus meis dirigat, ut graciam et potenciam habeam regibus et altis hominibus serviendi, et isto modo divicias et thesauros acquiram; et hanc mihi compleas repente petitionem. Ego enim

te coniuro per dominum Deum, alti firmamenti et regni validi dominum, ut meam petitionem recolligas et omnes meas petitiones per me tibi petitas impleas cum effectu. Dum autem omnia dixeris predicta, proicias te ad terram versus ipsum humiliter et devote, predicta adhuc semel reiterando. Postea tuum caput elevabis, et unum gallum cristam magnam habentem decollabis ipsumque modis supradictis combures et eius epar comedes. Suffumigatio autem que suffumigatur componitur hoc modo. Recipe muscate ilicis, cumini, gariofilate sicce, ramorum myrti, corticum amigdalarum amararum, acacie, granorum tamarisci, ramorum vitis, squinanti, omnium partes equales. Terantur et cum vino puro et delicato incorporentur, et fiant pillule et usui reserventur.

Cum orare volueris Lunam. Quando Lunam orare volueris et ab ea aliquid ex pertinentibus eidem petere, parabis te in forma pueri, et tecum ex aliquibus bene redolentibus habeas, et in tua manu anulum argenteum teneas, et in tuis motibus et operibus sis levis, et ornate et bene et punctualiter loquaris. Et ante te thuribulum argenteum habebis. Et in xiiii die mensis lunaris, videlicet dum Luna fuerit super terram et a fortunis bonis aspectibus aspecta, te lavabis et volvas faciem tuam versus ipsam, et dicas. Salvete Deus, Luna, que es domina benedicta, fortunata, frigida et humida, equalis et formosa. Tu es omnium aliorum planetarum caput et clavis, in tuis motibus levis, lumen lucens habens, domina leticie et gaudii, bonorum verborum, bone fame, regni fortunati. Tu es legem amans et res mundi cogitans, in tuis cogitationibus subtilis. Gaudia, cantilenas et iocalia diligis et amas, ambasciatorum et mandatorum domina et patefaciens secreta. Tu es libera et preciosa, tuque ceteris planetis nobis es propinquior; tu es maior omnibus, ipsis luminosa; tu boni et mali aprix, tu planetas ad invicem colligis, tu eorum lumina defers, tua bonitate quicumque sint rectificas. Et omnia huius mundi tuo ornamento ornantur et tuo damnamento damnantur. Tu omnium rerum incepcio, tu es eorum finis. Tu super omnes planetas nobilitatem habes et honorem. Et per huiusmodi tibi peto. Et te coniuro per Celan, qui est angelus quem Deus tecum posuit ad omnes effectus tuos complendos, ut miserearis mei, et petitionem meam recipias, et per humilitatem quam versus dominum nostrum altum habes et eius regnum ut me in rebus per me tibi petitis et rogatis recipias. Et omnibus tuis nominibus te invoco; videlicet, in Arabico Camar, in Latino Luna, in Feniz Mehe, in Greco Zamahyl, in Indiano Cerim, in Romano Celez, ut recipias in hoc loco petitiones meas. Postea versus eam proicias te ad terram predicta verba reiterando. Et dum predicta feceris, teneas suffumigacionem, que suffumigatio est heremitarum, cuius compositio ex 28 componitur rebus hoc modo. Recipe masticis, cardamomi, savine, storacis, cardelli piperati ana 3 i; enule, mirre, squinanti, dar sessahal, spice nardi, costi, incensi, croci ana 3 ii; cucurbite et eius seminum, radicum alhenne ana 3 iii; radicum lilii, Celtice, poli Indici, pinearum enucleatarum mundatarum ana 3 iii; laudani ypericon, foliorum malorum, siccarum rosarum, ayrob ana lb. ii; passularum mundatarum lb. ii; dactilorum lb. v. Incorporentur cum vino subtilissimo quantum sufficit incorporacioni eorundem, et fiant pillule ad magnitudinem cicerum. Et cum opus fuerit, tecum unum vitulum bovinum deferas ipsumque decollabis atque eum combures in igne magno ut supra diximus, taliter ut eius fumus elevetur in aere quemadmodum de aliis sacrificiis fuimus locuti. Et si tuum sacrificium feceris ex ove, combures eam et comedes eius epar quemadmodum in aliis sacrificiis diximus supra. Et tuam

petitionem adimplebis.

Opinio autem sapientum in oracionibus et petitionibus opportunis planetarum dicendum est quod quilibet planetarum agit in rebus sue nature consimilibus, ut fortuna in bono et infortuna in malo. Et cum planetis aliquid petere volueris, advertas ut a domino ascendens idem planeta aspiciatur et almutaz figure sit orientalis et in 4 altitudinis in suo epicyclo elevatus necnon et orientalis; et tunc petitiones petebant. In nocte vero virtutes et effectus planetarum sunt forciores et magis influentes. Et caveas tibi ut non ab aliquo planeta petas aliquid quod non sit de sui propria natura quoniam huiusmodi damnamentum petitionis esset.

Sapientes autem qui oraciones et sacrificia fecerunt planetis in moschetis faciunt predicta. Et dum per 8 gradus celum movetur, faciunt sacrificium unius animalis, et similiter dum deprimitur aliis 8 gradibus aliud sacrificium faciunt. Et dicunt quod Hermes hoc iussit facere in moschetis sive in eorum ecclesiis. Qui sapientes de prefato Hermete dixerunt quod erat dominus trium floridarum rerum, videlicet rex, propheta et sapiens. Et numquam in suis moschetis sacrificia alicuius animalis duorum colorum, nigri nec os fractum habentis nec cornu aliquod in aliquo ruptum nec oculum lesum nec aliquam maculam in corpore habentis fieri mandabant. Et dum ipsum animal decollabant, statim eius epar extrahebant. Ipsum aspiciebant; et si in eo aliquem defectum sive maculam inveniebant, tunc asserebant quod dominus eiusdem loci notabile impedimentum habebat. Deinde predictum epar minutabant et unicuique astancium dabant ut comederet ex eo.

Et nominabant Martem in eorum idiomate Mara smyt, quod nomen significat dominum malefactorum; et dicunt quod est malefactor propter quod est levis in effectibus malignis. Cuius forma secundum eorum opinionem est forma hominis in eius dextra ense tenentis, in sinistra vero flammam ignis habentis, et cum ense et igne vicissim minando; qua de causa est honoratus erga eos, et faciunt sacrificia propter metum ipsius et ad prohibendum eius mala. Et sacrificia que faciunt eidem faciunt dum Sol ingreditur Arietem, quia est domus Martis, et similiter cum ingreditur Scorpionem faciunt aliud sacrificium ipsius.

Et habent unum experimentum in parvulis, quod est: in mense in quo Sol moratur in Scorpione accipiunt puerum, et ipsum ducunt ad domum huius operis secretam et ornatam, et ipsum in pedibus erigunt. Et apportant unum manipulum tamarisci, et ipsum in thuribulo latonis in igne accendunt. Et super puerum verba Marti pertinentia dicunt ipsumque vestibus Martis induunt. Et si ignis puerum retro tetigerit, pro ipso opere iudicant ipsum nescitum, incongruum et indoctum ad predictum opus; si vero ignis ipsum tetigerit ex parte ante, asserunt ipsum esse huic operi congruum et aptum. Et tunc ad domum oracionum suarum ducunt ipsum, ibique eum aspiciunt si in cunctis eius membris est sanus. Et tunc ad aliam domum obscuram ducunt eum, et eius oculos velant. Et sacerdos paratur ante, et ponit unam hastam tamarisci rubei super ipsum. Et eum induunt corio, et iuxta eius pedes ex dextro latere ponit thuribulum igne repletum, a sinistro vero aliud thuribulum cum aqua. Tunc venit mater pueri cum gallo in eius manibus sedetque in porta ipsius domus. Deinde sacerdos accipit in eius manibus cacabum eris ignis flamma repletum. Postea sacerdos coniurat ipsum, et eum vinculo sacramenti innodat quod eius secreta non patefaciet in eternum, et eum fortiter terret ne alicui hoc revelet, dicendo quod, si aliquid alicui

revelaret de predictis, statim morietur. Et dum predicta compleverit, oculos pueri dissolvit et aperit. Venit eius mater cum antedicto gallo, sacerdosque suis manibus accipit ipsum et supra puerum decollat ipsum. Statimque mater pannum rubeum proicit super ipsum et ex ea domo extrahit eum. Et dum puer statim ipsam egreditur domum, ponit in eius digito indice anulum figuram simie habentem.

Et dicunt ipsi quod primum sacrificium pertinens Saturno est dum consistit in Tauro, et eidem fiat sacrificium unius vacce, asserentes quod eius cornua ad similitudinem corone sunt sita, et est ceteris animalibus pulchrior et cunctis animalibus sacrificio apcior. Quod sacrificium faciebant dum ipsam per aliquod tempus nutriebant ex herbis a virginibus puellis in ortu Solis collectis cibando, et per alias vias revertebantur domum quam per ipsas quibus a domo exiverant. Et ipsi predicta omnia pro maximis secretis in suis operibus habebant. Et aspiciebant ut vacca predicta esset totaliter integra, omni albedine quomodocumque indivisibili carente. Et super eius oculos cathena aurea ponebatur in suis cornibus circumvoluta. Et dicunt quod huiusmodi opus sapiens Hermes docuit. Cum autem ipsam decollare volebant, eam funibus aptabant, et ante ipsam suffumigationibus Saturni suffumigabant et oraciones quas habebant more Grecorum dicebant. Et cum gladio acuto in quo nihil defectus vel diminucionis reperiretur eam sacerdos decollabat, et eius sanguinem in scutella recolligebat, et recipiebat eius linguam, auriculas, rostrum et oculos; et secum divisim portabant. Postea aspiciebant sanguinem repositum in scutella et spumam que supra sanguinem elevabatur, et ex ipsa spuma intelligebant dominium et motum Saturni, quia secundum eos est primus motus quia in eo incipiuntur motus et finiuntur. Et huiusmodi sacrificium facere solebant quando mutabatur ad signum Tauri.

Et isti homines eorum facies et corpora cum vino et sale trito lavare solebant ut eorum cutes sive pelles efficerentur aride et ut eorum sanguis in eorum corporibus moveretur. Et tenebant quod eorum opera complebantur in predictis.

Et habebant domum clausam in qua nemo intrabat et in qua puteus profundus erat. Et cum Sol primum gradum Leonis ingrediebatur, venire faciebant de terra Canuiz arietem rubeum, et ipsum pannis preciosis cooperiebant. Et ad ortos et loca arboribus et floribus repleta, ibidem magna gaudia facientes, ducebant, eique vinum dabant in potu quantum bibere volebat. Et eum ducebant ad ipsam domum in nocte, et ipsum in memoratum puteum proiciebant, et cum oleo de sisamo eum ibidem lavabant. Deinde ipsum a puteo extrahebant, et ei rosas siccas, xenab, lenticulas, cicera, ayroz, mel et triticum, omnia simul mixta, dabant in cibo. In fine vero 28 dierum ab introitu Solis in Leonem numerandorum scilicet de nocte, extra civitatem sive extra terram populatam ad nemora ducebant eum, et eius caput ibidem amputabant. Et foveam ibidem facientes, sepeliebant eum in ea. Caput vero ad ipsam domum operis deferebant, et ipsum erga suas ymagines reponebant. Et dicebant quod ex eo vocem debilem audiebant qua, ut asserebant, eorum regi duracionem suarumque gencium augmentum vel diminucionem cognoscebant. Et qui predictum opus invenit vel qui in hoc secreto nos docuit fuit Barnac Elbarameny, qui in terra Indorum diem clausit extremum; quo nomine quedam pars Indie Bayrameny suo nomine appellabatur. Sapientes quidam istarum gencium multa opera ac diversarum manerierum habent, que

si omnia recitare vellemus prolongaremus librum nostrum inordinate. Idcirco hic ad nostrum propositum redeamus.

Capitulum octavum. De modo oracionum quibus Neptini orabant Solem et Saturnum, et quibus modis cum ipsis loquebantur et suos spiritus et effectus trahebant.

Neptinorum sapientes dixerunt quod potencie et opera celorum et stellarum sunt Solis simpliciter, et ideo quia vident et intelligunt quod Luna iuvat eum (hoc est, quantum in suis effectibus), non quod Sol indigeat ea nec aliis planetis; et similiter alii quinque planete sequuntur Solem in suis effectibus et obediunt et humiliantur eidem, et secundum dispositiones Solis in predictis effectibus procedunt. Et ideo omnes effectus sunt in Sole secundum eorum opinionem primitus radicati, ceteri vero sex planete iuvant eum in suis effectibus. Et similiter stelle fixe ancille sunt eidem, serviunt, obediunt et humiliantur ei, et in suis effectibus iuvant ipsum, non propter indigenciam quam habet ex eis. Et he gentes Soli hanc oracionem facere solebant. Oramus, honoramus, laudamus te, dominum altum Solem. Tu enim das vitam cunctis viventibus in mundo, et mundus universus tuo lumine illustratur et tua potencia gubernatur. Tu es in alto loco situatus; magnum regnum habes plenum lumine, sensu, intellectu, potencia et honore ac bono. Omnia generabilia generantur tua potencia; per te gubernantur gubernanda; vivunt per te omnia vegetabilia; et omnia per te in suo robore permanent. Tu in tuis effectibus nobilis et honoratus existis et potens in tuo celo permanens. Te salutamus, laudamus, honoramus et oramus per obedienciam et humilitatem, et omnes voluntates nostras tibi patefacimus, et omnia nobis necessaria tibi petimus et requirimus. Dominus noster es tu; et te tam in die quam in nocte rogamus ut de tua virtute vitam et gubernacionem percipimus. Et tibi nostras voluntates disponimus; et tu ab inimicis nostris et a nobis cunctis mala querentibus liberes et defendas, necnon et Luna que est ancilla et obediens tibi, et eius lux et lumen a te et virtute tua procedit. Tu das posse; tu es dominus in tuo celo electus. Tibi Luna et ceteri planete serviunt semper et obediunt, et numquam a tuo precepto recedunt. Et ideo a nobis sis semper laudatus per infinita secula seculorum. Amen.

Sapientes vero Agriculture Caldeorum dixerunt quod hac oracione orabant Saturnum, sed aspiciebant primo ne iste dominus esset descendens in circulo nec occidentalis a Sole nec sub eius radiis nec in medio sue retrogradacionis. Sed quando inveniebant ipsum ab omnibus impedimentis liberum et mundum, infrascriptam oracionem faciebant eidem et suffumigacionem coriorum veterum, seporum, sudorum, vespertilionum mortuorum, murium, ex quibus vespertilioes xiiii comburuntur et xiiii mures similiter comburuntur; et accipiebant cinerem eorum, et ponebant eum in capite sue ymaginis. Et proiciebant se circa ymaginem super lapidem vel arenam nigram. Et ex istis operibus a sua malicia et malo erant defensi quoniam ab eo omnia mala, damna et fletus procedunt. Ipse est dominus omnium paupertatum, miserie, doloris, carceris, turpitudinis, lamentacionis; et predicta significat dum est cadens et damnatus. Sed quando est in bona disposicione et sua exaltacione, significat mundiciam, longitudinem vite, altitudinem, gaudium, honorem, divicias, hereditatem et durabilitatem hereditatis in filiis et nepotibus. Et eius bonitas est quando est orientalis a Sole

et dum est in medio celi et in suo incessu directus et levis in motu et in suo circulo elevatus et in auge.

Et dixit Zeherit, qui fuit primus sapiens ex tribus sapientibus Agriculture Caldee, quod hanc oracionem fecit Saturno et petitiones quas voluit quesivit ab eo, et statim eidem dispositio sue ymaginis interfuit, ex qua in quibus voluit habuit responsum. Cuius oracionis tenor talis est. Erigimus nos in pedibus, oramus et honoramus te per obedienciam et humilitatem. Et erigimus super pedibus nostris dominum istum altum, vivum et durabilem, et in sui potencia et dominio fixum, qui est Saturnus. Et est in suo celo durabilis et in eius dominio potens et in eius effectibus, altitudinibus et magnificenciis adunatus. Circuit omnia, et potenciam in omnibus visibilibus et invisibilibus habet, et in omnibus in terra supraexistentibus potenciam habet. Et ipsius potencia cuncta in terra vivencia vivunt, ac eius durabilitate durant. Et ea suo posse et potencia inceptit, et fecit nos durare, et sua permanencia, duramento et sua durabilitate terram permanere fecit. Aquas et rivos facit sua potencia fluere quemadmodum defluunt et moventur. Vivendo vivos movere facit ut vivus. Et est frigidus sicut sua natura. Et sui regni altitudine crescunt arbores et elevantur, et terra ponderatur secundum pondus suorum motuum; et encia si vellet faceret alterius maneriei quam sint. Sed est sapiens et rerum potencia et sensu factor; et eius sciencia patet in omnibus. Tu enim sis benedictus qui es tui celi dominus, et tuum nomen sit sanctum, mundum et honoratum. Tibi obedimus, tuis pedibus oramus et tuo honori per tua nomina, voluntatem, nobilitatem et honorem petimus ut nostros sensus corroboret et ut sint durabiles et in nobis per vitam nobiscum, ut ad presens sunt, remaneant, et nostrorum corporum quando separantur a vita habeas pietatem ut vermes atque reptilia a nostris carnibus retrahantur. Tu es dominus pius et antiquus, et non est aliquis qui ea que damnas rectificare possit. Tu es in tuis dictis et operibus permanens, nec tuorum actuum te penitet. Tu es in tuis potenciis tardus et profundus. Tu es dominus talis quod non est qui auferat quod concedis, et quod prohibes nullus concedere potest. Tu es dominus in tuis operibus ornatus et in tuo regno unicus. Tu es aliorum planetarum dominus, et alie stelle in suis circulis moventes timent motus tui vocem et tuo metu expavescunt. Rogamus te et a te petimus ut a tuo furore et ira nos reddas securos, et tuos malos effectus a nobis remove digneris et nostrorum tua puritate habeas pietatem – et per tua nomina bona et nobilia – qui tuam pietatem attingunt, ut omnes tuos malos effectus a nobis tua potencia remove possimus, et nobis tua virtute et nostrorum pietatem habeas. Et per omnia nomina tua, et per tuum nomen altum et nobile, id quod magis liceris cunctis aliis nominibus – hoc nomen – oramus et petimus ut tuam erga nos pietatem infundas.

Predicta autem verba Abenrasia Ein Agricultura Caldea, quam de Caldeorum idiomate transtulit, composuit. Quam oracionem nunc sumus hic recitati nisi ad patefaciendum communem concordanciam sapientum antiquorum erga opera planetarum et in cunctis temporibus suorum corporum protectionem planetarum naturis. Et ipsam oracionem sumus in hoc libro recitati ut huius operis nil comprehensibile sapientum deficiat antiquorum. Et hunc nostrum librum tradimus completum prout in principio promisimus tractaturi. Et quia hec oracio est in nostra lege prohibita, hic recitamus eam solum ad discooperienda sapientum antiquorum secreta, quia contra hoc opus antiquitus antedatam legem faciebant. Et ideo nullus

predicta a se expellere debet, ut etiam quantum in hoc opere sum locutus et de cetero sum et ero bona intencione professor. Cunctos autem hunc librum videntes rogo et audientes ut nemini insensato revelent. Et si fuerit necesse ipsum alicui patefacere, hoc non fiat nisi bonis sapientibus intellectu illustratis et eorum vitam secundum ordinis iura ducentibus. Omnipotenti Deo supplico: hoc opus nostrum a manibus insipientum defendat, et mihi cunctorum hic dictorum parcat, cum bona intencione predicta omnia sum locutus.

Capitulum nonum. De modo attrahendi vires cuiuslibet planetarum divisim et spiritus illarum virium nominandi secundum earum partes necnon et modo dicta nomina operandi.

Saturni spiritus qui Redimez nuncupatur est omnia nomina sua coniuncta et separata coadunans et eius partes que sub et supra et alibi sunt secundum opinionem Aristotelis in libro quem transtulit ad Alexandrum, qui Estemequis nuncupatur, in quo tractavit quo modo virtutes planetarum et eorum spiritus attrahi debent. Sed eius nomina divisa iuxta ipsius Aristotelis □ opinionem sunt ista. Nomen sui spiritus altitudinis Toz nuncupatur, infimi sui spiritus Corez, dextri Deytyz, sinistri Deriuz, anterioris Talyz, posterioris vero Daruz; et eius motus in sua spera et eius progressus in signis et eius motus in spiritibus – predicta omnia coniunguntur in hoc nomine: Tahaytuc. Et hec omnia nomina superius divisa in hoc primo nomine, Redimez, coadunantur; et hoc nomen est tamquam radix et genus omnium nominum predictorum. Nomen autem spiritus Iovis coadunans est Demehuz; spiritus alti Dermez, infimi Matiz, dextri Maz, sinistri Deriz, anterioris Tamiz, posterioris vero Foruz nuncupantur; et suorum motuum in suo celo spiritus et in suis signis divisionis est Dehydez. Sed nomen quo predicta omnia coniunguntur, quod nomen est tamquam radix et genus omnium, est nomen primum superius tactum, videlicet Demehuz.

Nomen vero quo adunatur spiritus Martis est Deharayuz, spiritus alti Heheydiz, infimi Heydeyuz, dextri Maharaz, sinistri Ardauz, anterioris Hondehoyuz, posterioris vero Meheyediz; et ille qui est sui motus in celo et sui processus in signis et motus sui spiritus Dehydemez nuncupatur. Sed nomen omnia predicta includens, quod est tamquam radix et genus predictorum, est nomen superius nominatum, videlicet Deharayuz.

Nomen autem includens spiritum Solis est Beydeluz; et nomen sui alti spiritus est Dehymez, infimi Eydulez, dextri Deheyfez, sinistri Azuhafez, anterioris Mahabeyuz, posterioris vero Hadyz; et spiritus sui motus in celo et sub signis et in suo spiritu Letahaymeriz nuncupatur. Sed nomen includens et coniungens omnia nomina supradicta (et est tamquam radix et genus predictorum) est nomen superius nominatum, scilicet Beydeluz.

Nomen enim spiritus Veneris includens est quod Deydez nuncupatur, sui spiritus alti Heyluz, infimi Cahyluz, dextri Diruez, sinistri Ableymez, anterioris Teyluz, posterioris vero Arzuz; suorum motuum in celo et progressus in signis et sui spiritus motus est Dehataryz. Sed omnibus predictis equipollens (et est tamquam genus et radix omnium predictorum) est Deydez superius nominatum.

Nomen quippe spiritus Mercurii includens est Merhuyez, et sui alti spiritus Amirez, infimi vero Hytyz, dextri Cehuz, sinistri Deriz, anterioris

Maylez, posterioris autem Dehedyz; et sui motus in celo et progressus signorum est Mehendiz. Et nomen omnia predicta includens (et est tamquam radix et genus predictorum) est Merhuyez superius dictum.

Et nomen includens spiritus Lune est Harnuz, sui alti spiritus Hediz, infimi Marayuz, dextri Meletaz, sinistri Timez, anterioris Hueyz, posterioris vero Meyneluz; et nomen in suo celo motus et progressus in signis est Dahanuz. Et quod omnia nomina superius dicta copulat et coniungit (et est tamquam radix et genus predictorum) est Harnuz superius dictum.

Et predicta narravit Aristoteles in libro preallegato, predictis spiritibus prefata nomina imponendo, asserendo quod predicti spiritus sunt spiritus mundi parcium, que sunt sex partes in omnibus septem planetarum climatibus. Que nomina istorum spirituum sunt quibus orantes planetas uti solebant, et ipsis in oracionibus quibus planetas orabant uti consueverunt. Tu autem diligenter advertas in predictis.

Preterea dixit philosophus quod ab istis spiritibus omnes spiritus potencias ad hunc modum in climatibus et generacionibus attingentes descendunt. A predictis quibus oracionibus mirabiles effectus fiunt – ab ipsis divicie et paupertates emanant; ipsi namque dant, auferunt et divertunt. Et habent corpora quibus induuntur, et corporantur cum eisdem. Et in suis climatibus habent homines quibus eorum potencie et spiritus influunt, et concedunt ipsos in suis scienciis disponendo et in rebus suarum naturarum utendo. Subsequenter dixit idem philosophus: cum volueris attrahere aliquem predictorum spirituum planetarum in aliquo climatum, in predictis radicibus advertas quoniam effectus cuiuslibet planetarum in proprio climate forcius operatur.

Operacio per Saturnum. Cum autem per Saturnum operari volueris, hoc facias. Sole in Capricorno et Luna in Sagittario commorante, facias ymaginem cuius pedes sunt ferrei, ipsamque pannis viridis, nigri et rubei coloris induas. Postea vadas ad campum, et sub arbore omni odore carente ingrediaris. Et sacrificium tuum (scilicet vaccam aut vitulum) tecum una cum suffumigacione ex cerebro gatti nigri, tartago, cicuta, mirra, ypericon composita portabis. Et dicas: Bedimez, Toz, Eduz, Hayz, Derniz, Tayuz, Huaruyz, Talhit, Naycahua, Huenadul! Venite, vos spiritus, et vos vestroque sacrificio presto! Et iterando oracionem redicas continue suffumigando. Tuam petitionem petas; et complebitur. Predicta vero omnia posuit Aristoteles in suo libro.

Operacio per Iovem. Cum vero per Iovem volueris operari, in die Iovis sis operatus, Sole in Sagittario vel Piscibus existente, Luna vero in capite Arietis (quod est ipsius Solis exaltacio) commorante. Et parabis unam domum mundam et nitidam et stolis et cortinis et optimis pannis ornatam, que domus huic operi sit apta. Et in tua manu accipe ferculum maneriei mixture sive composicionis melle, butiro, oleo nucum et zuccari compositum, ipsumque liquidum facias et humidum. Postea facias unam artocream (id est turtam) farina, butiro, lacte, zuccaro et croco delicatissime factam, et ex ipsis quanto plus poteris facias. Et in capite ipsius domus mensam magnam ponas super robusta tripodum. Et unum thuribulum ante te ponas ex metallo Iovis compositum. Et in ipsa mensa muscatum, camphoram ponas et lignum aloes et alia bene redolencia, et algalia et similia, et unam dosim masticis et artocream quam fecisti et mixturam quam fecisti, scilicet ex humida et sicca. Et in medio mense candelam magnam accensam ponas, retro vero ipsius

candele quatuor sportas discoopertas malo granato et carnibus coctis et assatis arietum, gallinarum et columbarum necnon et ferculis caulium repletas collocabis. Et in capite cuiuslibet sporte ponas urceum vino repletum et unum vas limpidum. Et iterum super mensam ramos myrti ponas. Et cum predicta feceris ut supra, in capite mense mastice et ligno aloes suffumigabis, et aliam suffumigacionem de mastice in alio capite domus ponas. Et nullus sit in ipsa domo preter te solum. Et dicas: Demeuz, Armez, Ceylez, Mahaz, Erdaz, Tamyz, Feruz, Dyndez, Afrayuz, Tayhaciedez! Hec sunt nomina spirituum Iovis in omnibus sex partibus sui celi. Interpretacio istius nominis Afriduz et aliorum sequencium est: Venite et ingrediamini, vos omnes spiritus Iovis, et istos odores odorate, et hec fercula comedite, et ex eis quodcumque volueritis faciatis. Predicta enim sepcies reiterabis. Postea egrediaris domum, et quietus stabis per horam. Deinde domum ingrediaris, predictam oracionem faciendo. Et si quinquies operatus fueris, in sexta vero dum redibis ad domum et predictam oracionem feceris ut diximus, venient spiritus in figuris formosis ornatisque vestimentis induti, et te recipient in petitione quam fuisti petitus cuiuscumque maneriei extiterit, et te in scienciis et intellectu iuvabunt, et te virtute suorum spirituum obumbrabunt et cooperient. His vero hoc ordine expeditis, amicos et socios convocabis, et cibaria superius preparata ad invicem comedetis vinumque potabitis, et ipsos odores odorabitis, atque cum ipsis suffumigacionibus suffumigabitis omnes. Hanc vero oracionem planetis in quolibet anno sapientes Romanorum facere solebant, et specialiter Iovi.

Operacio per Martem. Cum vero per Martem volueris operari, hoc facias die Martis, Sole existente in Ariete, qui est ipsius Martis domus, et Luna in Cahadabula, mansione Lune que est exaltacio Martis. Et tunc fit finis hyemis, in qua arbores cum fructibus reperiuntur. Et tecum ducas vacce vel pecudis sacrificium, et thuribulum carbonibus repletum, et suffumigacionem mirre, senab et sarcocolle confectam, et sportam ferculorum repletam (videlicet ex ferculis melioribus que facere poteris), et urceum vino repletum. Et predicta omnia tecum deferens venias in campum et super unam arborem ascendas, et dimitte sacrificium de tuis manibus, et ignem accendas in quo suffumigacionem ponas. Et dicas hec verba: Dahaydanuz, Hahaydiz, Haydayuz, Mihyraz, Ardahuz, Heydaheydez, Mehenediz, Dehydemez. Et hec est oracio Martis. Et cum hec dixeris, dicas: Hoc sacrificium est vobis, spiritus Martis. Recipiatis ipsum et de ipso comedatis, et faciatis quod placet. Postea idem sacrificium ad aliquem locum extra ipsam arborem apportabis, et cum suffumigacione predicta te suffumigabis, tuumque sacrificium decollabis, et ipsum excoriabis, et eius epar assabis. Et fercula que tecum apportasti accipias, omniaque supra corium extendas; et sacrificium super eodem apponas, et dicas oracionem. Deinde sis taliter allocutus: O spiritus Martis, istud sacrificium vestrum est. Venite, et hanc suffumigacionem odorate, et ex isto sacrificio et ferculis ad vestrum libitum faciatis. Et tunc unus spiritus rubeus, flamme ignis similis, descendet, et per ipsa cibaria transeundo comburet aliquantulum ex eis. Et cum eum videris, quod volueris petas; et in omnibus tuis operibus ipse te iuvabit. Et cum ipsa flamma quietabitur, ad predicta fercula procedas, et ex eis quantum poteris comedas; similiter de vino bibas pro posse, et petas quas volueris petitiones ipsi Marti pertinentes. Et scias quod Mars est planeta diversus et in sui natura fortis, et non in omni tempore recipit vel exaudit. Ideo dum opera Martis fueris operatus, etsi ad prefatam coniunctionem non venerit, non diffides. Et cum

predicta feceris diligenter, ad domum propriam revertaris.

Operacio per Solem. Cum enim per Solem operari volueris, hoc facias in die dominica, Sole in Leone existente et Luna in 15 vel 19 gradu Arietis commorante. Et preparabis domum aptam, que sit munda et nitida, et ex preciosioribus pannis quos habere poteris ornabis eam. Et ponas in ipsa septem ymagines aureas; quod si eas ex auro habere non poteris, habeas saltem ex ligno. Si vero fuerint auree, super ipsas ponas scolarilia lapidum iargonzarum rubearum et margaritarum; si vero ex ligno ipse ymagines existerint, ipsas vestimentis sericis rubeis induas, et super ipsas scolarilia auri et iargonzarum rubearum ponas. Et ipsas ymagines in medio domus situabis, et ante quamlibet earum ymaginum mensam parabis. Et in qualibet mensarum artocreas factas ex flore farine et ex compositionibus siccis et humidis pones, et in medio cuiuslibet earum urceum vini, et circa ipsam cassam speciebus et odoriferis rebus plenam quemadmodum sunt muscus, camphora et ambra; et in ipsa domo myrtum ponas. Deinde candelam ceream magnam accendas, et te ponas sedendo super aliquid altum versus ymagines, et dicas: Tebdeluz, Dihymez, Andulez, Dehycayz Aginafez, Mahagnuz, Ahadyz, Tuymeryz. Cum autem predicta dixeris, petas petitionem quam proposuisti petere. Hoc facto, convoca aliquos tuos socios et amicos, et cum eis predicta cibaria comedas, et vinum bibatis. Postea vero ipsam egrediamini domum, quia spiritus Solis tibi quod petivisti concedent et tuam exaudient petitionem.

Operacio per Venerem. Cum per Venerem operari volueris, hoc facias in die Veneris, Sole in capite Piscium existente et Luna in Cancro commorante. Tunc mundifica te et balneum ingrediaris; et cum mundus et balneatus fueris, venias et super ficum vel palmam ascendas; et ducas tecum arietem. Et dicas: Hueydez, Helyuz, Hemyluz, Deneriz, Temeyz, Cempluz, Arhuz, Meytaryz. Et quando predicta dixeris, petas quod volueris. Caveas autem ne alicui planetarum petas nisi ea que sue nature sunt attributa.

Operacio per Mercurium. Cum per Mercurium volueris operari, hoc facias in die Mercurii, Sole in Capricorno existente, quia tunc annus Caldeorum incipit. Et super cathedram auream sedeas in domo vacua, et cum ligno aloes, incenso, mirra, cicuta et enula te suffumigabis. Et mensam auream ante te ponas, et in circuitu 7 hircos situabis, quos cum baculo ligneo disciplinabis taliter ut voces emittant. Et dum fumus suffumigationis elevabitur, dicas: Barhurez, Emirez, Haytiz, Cociz, Deriz, Heniz, Deheriz, Zahudaz. Et dum predicta dixeris, prefatos hircos decollabis, et eos excoriabis ipsosque in pecias in circuitu mense mutilabis, continue suffumigationem suffumigando. Dum autem predicta feceris, vultus tuus totus sit preter oculos penitus coopertus, tamen continue suffumigando. Postea ipsam domum egrediaris, et tecum cunctas carnes huiusmodi superius sic incisas deferas, quas in cacabo cum aceto decoquas; et accipias panem ex flore farine factum. Et dum oportet, predicta omnia ponas in sporta, et bona salvacione reservabis. Tuamque petitionem ex petitionibus Mercurio pertinentibus petas.

Operacio per Lunam. Cum per Lunam operari volueris, hoc facias Sole in Cancro existente et Luna in Ariete, qui est ipsius Solis exaltacio, commorante; et hoc opus facias in nocte Lune (videlicet dominico die, die finito). Cum Sol occidit, vadas ad campum. Et postquam te ablueris et bene mundificatus fueris, arietem et suffumigationem incenso, cicuta, enula, mirra et ligno aloes compositam tecum deferas; necnon et aliqui amicorum tuorum et sociorum

veniant tecum, et quilibet eorum arietem et suffumigacionem predictam ducat; et cibaria similiter in sportis apportent. Quo facto, ignem magnum lignis accendant; et sportas ferculorum in circuitu focularii situabis. Et surgat cui peticio interest, et sedeat super aliquem fontem aquarum; et ante ipsum ficus, et circa eum aries quem duxit. Et ponat suffumigacionem quam portavit in igne. Et dicat: Hedyuz, Denediz, Mubrynayz, Miltaz, Tymez, Rabyz, Celuz, Deheniz, Merniz. Et cum dixerit predicta, decollabis arietem. Et quilibet sociorum arietem quem duxit dimittat, quia omnes venient ad te, omnesque iugulabis predicta verba in decollacione singulorum dicendo et suffumigacione suffumigando. Quibus sic se habentibus, ibidem dimittas et ad locum ignis accensi redeas. Deinde tu et cuncti socii tui ad arietum interfectorum locum veniatis, ipsosque excoriatas, et eorum pelles, capita, pedes, et omnia interiora in loco mundo, in quo aliquid animalium comedere non possit ex predictis aliquid, sepeliatis. Arietes assetis; et dum assati bene fuerint, eos in sportis ferculorum in circuitu focularii reponatis. Et cum prope auroram fuerit, sub ipsa ficu pannos diversorum colorum ponatis; et dum predicta feceritis, suffumigabitis suffumigacione predicta. Et oracionem spiritus ter dicatis, et petitiones vestras petatis; omnia vero adimplebuntur.

Capitulum decimum. De demonstracione confectionum spirituum planetarum et retrahendi damnamenta operum et effectuum, miraculorum nigromancie et cibariorum, suffumigacionum, unguentorum, odorum quibus uti debet operator spirituum planetarum; et effectus planetarum proprios et opera que nisi visu operantur.

Aristoteles ¶ enim in preallegato libro De estemequis, quem Alexandro regi composuit, recitavit confectiones quatuor lapidum, qui in spiritibus potencias et effectus mirabiles habent. Quorum primum nominavit Rayetanz. Qui vero hunc lapidem in annulo castronatum secum portaverit, ab homine vel animali quocumque existat spiritum habentibus humiliter obedietur; et si cum hoc lapide aliquam cartam sigillaverit et ipsam regi vel alteri cuicumque transmiserit homini, cum ab eis vel ab aliquo eorum videbitur, statim tremescent et eidem obedient, et per ipsum indesinenter implebuntur petita. Idem facient homines perversi si eodem modo ut supra transmittetur. Hic vero lapis est rubeus in colore, cuius compositio talis est. Recipe rubinorum 3 ii; terantur et involvantur cum media dragma adamantis plumbo contriti et almagnicie ana 3 i, sulfuris 3 β, auri 3 ii. Omnia vero predicta incorporentur in crusibulo et ponantur ad ignem mansuetum, paulatim crescendo quousque predicta fuerint fusa quoniam rubinus virtute adamantis, et adamas virtute almagnicie, et almagnicies virtute sulfuris funduntur; et aurum eciam funditur cum eisdem. Et dum incorporata fuerint bene, crusibulum ab igne removeas et permittas infrigidari. Inveniesque unum corpus totum mixtum colore turbido; hunc vero retrahas. Et iterum recipe cerebrum leonis, sepum leopardi, sanguinem lupi – omnium partes equales. Sepum vero liquefacies, et ipsum cum cerebro misceas; deinde proice sanguinem super eum, et disponetur in suo colore pardus. Et caveas ne ipsum manibus tangas, nec tuis pannis propinquas, et ab eius odore te penitus avertas, quia hoc est venenum mortiferum in omnibus suis qualitibus a forma specifica secundum opinionem Cetratis in somnio. Dum autem quietatur, removeas eum. Et iterum recipe azer nec, croci, sulfuris crocei et rubei ana 3 x. Pulverizentur et

mundentur, et desuper venenum predictum proiciantur. Et statim frangetur ipsius nocumentum, et totum deliquebitur. Et cum totum fuerit liquefactum et involutum, in urceo sive in vase parvo ponatur, quod cum terra aurifabrorum obturetur; ignique apponatur mansueto. Cum autem totum liquefactum fuerit ut cera, elevetur ab igne et permittatur infrigidari. Deinde corpus liquefacias primum, cum quo spiritus paulatim componatur quousque totum incorporetur cum eo et secum uniatur. Quo facto, extrahas ab igne et infrigidari permittas. Et ex ipso ad tornum lapillos facias rotundos ad magnitudinem optatam, quia Aristoteles ☐Alexandro sic fuit locutus: O Alexander, scias quod hoc est corpus mirabilia omnia vincens. Secundus vero lapis Helemetiz nuncupatur. Hic enim lapis contra pluviam, grandinem et nivem fieri iubetur; cum enim aliquid istorum supervenerit, hunc lapidem manu tua dextra versus celum eleva, et securus eris a predictis. Hic vero lapis pardus est in colore; et eius compositio talis est. Recipe ellebori 3 iiii, et ipsum cum alcondiz albo liquefacias ad ignem. Et cum eo sic liquefacto pone argenti 3 iiii et plumbi 3 iiii. Cum autem omnia insimul liquefacta fuerint, eleva ab igne et cum spiritu operibus ipsum operare. Postea accipe ossa manuum et pedum porci, que a carne et nervis sint bene mundata, eaque in aqua cum sale decoque bene; et cum cocta sufficienter fuerint, eleva ab igne et siccentur ab aqua. Deinde pulverizentur et <liquefiant> cum mandragora et calce ana in vase terreo cum terra obturato aurifabrorum competenter et bene disposito – videlicet, quod in ipso vase ponatur pars una calcis et mandragore primitus, deinde super illam aliam partem pulveris ossium successive usque ad capacitatem vasis. Et predicta ad ignem stercorum per noctem unam liquefiant. Postea predictum vas removeatur ab igne, et infrigidari permittas. Et predicta pulverizentur, et desuper modicum azernece rubeum et clarum proiciatur. Deinde iterum terantur cum humano sanguine ex vena sparso, et per diem integrum terantur; et usui reservabis. Quibus expletis, primum corpus liquefiat, supra quod proiciatur hoc corpus proxime tactum paulatim quousque ad invicem debite incorporentur. Quo facto, ab igne removeas, et eum infrigidari permittas, quod in suo colore pardum invenies. Qui lapis secundum optatam magnitudinem in forma spherica laboretur ad tornum. Subsequenter in ipso opere cum verbis et operibus que antea diximus in operibus nature complete laborabis. Dum videris pluviam, nivem, grandinem et tonitruum in aliquo loco, et ea a te et a loco in quo fueris volueris remove, ea verba que antea diximus dicas, et ipsum lapidem in tua dextra manu tenens versus celum erigas; et predicta omnia quiescent. Et hic lapis est ex potentiis et spiritibus spiritualibus compositus. Tercius vero lapis nominatur Astamatis. Et dicit Aristoteles ☐quod hic lapis est ex mirabilibus mundi, videlicet quod qui eum in lite vel in prelio secum defert a nocumentis, inimicis suisque armis offendibilibus existit securus ipse videlicet et eius socii. Cuius lapidis compositio talis est. Recipe ferrum cum sulfure liquefactum – 3 x – ipsumque fundas ad ignem, et in ipso sulfure album lapidem almagnicie et attincar ponas, omnia bene pulverizata quousque incorporentur in unum. Et apparebit primitus croceum, postea album quemadmodum argentum, et etiam pulchrius, et ipsius corpus erit blandum. Post hoc recipe pinguedinis porci, eiusdem cerebri ana. Liquefiant insimul, et cum sanguine corvi nigri misceantur; et infrigidari permittas, et ad modum coaguli coagulabitur. Et deinde recipe lapidis almagnicie 3 iiii, adamantis combusti 3β, azernece rubei et clari 3 ii, sulfuris crocei 3 iiii; terantur

omnia insimul in unum et pulverizentur, quorum pulvis supra corpus predictum superius coagulatum proiciatur. Et omnia in vase terreo eidem capacitati congruo apponantur, et cum terra aurifabrorum eius os optime claudatur. Sic aptum ponatur ad ignem, et liquefiat totum ut cera. Postea removeatur ab igne, et in frigidari permittas. Coagulabitur enim et ad instar lapidis efficietur; ipsumque reserva. Deinde recipe ferri modo predicto laborati 3 x, auri, argenti eris ana 3 i. Ponantur ad ignem et fundantur quousque optime misceantur. Hoc facto, proicias aliud corpus quod statim fecisti super eum paulatim quousque incorporentur in ipso; et purificetur ad ignem. Succiditates vero corporum depurabuntur, et hi copulabuntur ad invicem et lubrici valde efficientur. Cum autem ista taliter esse dinosceris, removeantur ab igne et in frigidari permittantur. Et ea corpora invenies in unum unita et aliquantulum blanda. Ex quo lapillos rotundos ad magnitudinem optatam torno laborabis, in quibus per tres dies cum verbis que antea diximus laborabis. Hunc vero lapidem reservabis ipsumque tecum portabis in bello, et ab omnibus armis inimicorum ferreis tutus efficieris – tu et omnes tecum existentes quousque predictum lapidem tecum habueris. Quartus autem lapis Handemotuz appellatur. Dixit enim Aristoteles Equod hic lapis ad amorem mulierum tollendum existit, compositus videlicet militibus et hominibus armigeris eo quod, quando in bellis se debent misceri, si cum mulieribus se commiserint, eorum corpora magis debilia efficiuntur, et per consequens facilius devincuntur. Hic vero lapis est colore albus. Cuius compositio talis est. Recipe plumbi 3 x, eris, ferri cum sulfure albo liquefacti ana 3 i, argenti 3 β. Liquefiant es, ferrum et argentum simul in unum. Postea super ipsa plumbum proiciatur. Et dum omnia simul fuerint incorporata, recipe lapidis almagnicie, adamantis, sulfuris crocei ana 3 β, azer nec rubei 3 ii. Pulverizentur omnia, et super corpora fusa pulverem proice quousque omnia insimul imbibantur. Deinde ipsum ab igne eleva, et reserva. Postmodum facias spiritum isto modo. Recipe sepi de algazel, medulle sive cerebri equi ana. Sepum liquefacias, et eum misceas cum cerebro vel cum medulla. Desuper ea sanguinem passerum quousque coaguletur proice. Postea recipe de ossibus porcinis 3 i, et ea optime cum aliquantulo attincar et almagnicie 3 β, sulfuris crocei 3 i, azer nec rubei 3 i β pulveriza, et omnia insimul mole, et super dictam medullam et sepum iam dictum proice. Et pone super ignem quousque totum insimul liquefiat. Deinde ab igne eleva, et ipsum in frigidari permittas. Quo in frigidato, accipe corpora que prius fecisti, et super ignem liquefacias ipsa. Et super ea medicinam dictam paulatim proice usque quo totam eam bibant; et omnia fiant labencia. Deinde ipsum ab igne eleva, et permittas in frigidari; fiatque lapis, quem super tornum spericum facias et equalem. Postea cum verbis que antea diximus per triduum labora. Deinde facias duas ymagines eris, scilicet in forma viri unam et aliam mulieris; in ymagine viri lapidem ponas. Et iste ymagines cum spatulis ad invicem ponantur. Et accipe acum ferream, et dicas super eam ter verba que antea diximus. Hoc expleto, affigas ipsam in pectore ymagine mulieris quousque ipsa ymago tota perforetur versus spatulas; et in ymagine viri taliter imprimatur ut ipse ymagines ad invicem firmentur. Et ipsas ymagines sic aptatas in archam ferream ponas bene clausam, et super ipsam per diem et noctem dicas verba que diximus supra. Ipsamque tecum tenebis, quia tu et omnes tui socii et milites a libidine mulierum erunt penitus remoti. Predicta autem omnia narrat Aristoteles in preallegato libro Astemequis.

Quod commixtiones predictorum lapidum sunt venena mortifera, qui predicta erit facturus diligenter ab eorum tactu et odore avertat. Huius autem veneni remedium per quod predicta possunt absque metu fieri tale est. Recipe ligni aloes, granorum myrti, granorum mandragore, granorum alben ana 3 ii, muscati 3 β, agni casti, passularum mundatarum, sandali albi ana 3 i. Misceantur omnia, et optime pulverizentur et cum succo myrti incorporentur; et fiant pillule, quas siccare permittas. Quicumque vero predictos lapides componere voluerit qui sunt venena mortifera, accipiat ex istis pillulis, et ex eis in suis naribus, auribus et ore apponat; et totum eius vultum panno cooperiat dum predicta pulverizantur et operantur. Preterea indigent alio remedio ad conservacionem manuum, quod tale est. Recipe granorum lauri et granorum nucleorum basilice ana, balsami, sanguinis leporis ana partes iiii. Terenda terantur, et incorporentur cum balsamo et sanguine leporis. Hanc vero medicinam semper in omnibus operibus predictorum tecum habeas, et manus operantis in predictis laves ex ea; et operabitur secure et absque periculo.

Et idem Aristoteles in predicto libro ait quod spiritus operantibus predicta offendunt aliquando eorum naturas damnando. Et cum ab hac infirmitate eos volueris liberare ut sua natura ad debitam qualitatem reducatur, eis infrascriptam medicinam dabis in potu. Recipe sanguinis humani 3 β, et ipsum incorpora cum oleo amigdalorum dulcium 3 iiii, medulle sive cerebri leporis 3 ii; et cum urine asini 3 i misceantur. Et predicta insimul uniantur; et per singulos dies ieiuno stomacho usque ad dies 9 pacienci dabis in potu. Hac vero medicina curabuntur, et eorum nature rectificabuntur, et spiritus septem planetarum mali separabuntur ab eis, cuiuscumque maneriei existant, eorum complexione naturali in suo robore permanente.

Et iterum dixit Aristoteles in libro Malatiz nominato. Quando de Caynez, sapiente Indie et mirabilis huius artis domino, perquisivit Alexander, hunc librum Malatiz composuit ex ipsius Caynez sciencia, in qua recitavit mirabilia per ipsum Caynez, quem hominem spiritualem reputabant, facta, qui vixit 840 annis. Et fuit tempore Aydeneruz regis, qui potens et interfector erat. Hic vero sapiens fecit ex maiori mundo et minori compositis mirabilia magna; et eius verba sunt composita ex spiritibus qui sunt in mundo composito. Et attraxit voluntatem regis predicti et aliorum regum quos volebat. Preterea faciebat mirabilia et oraciones diversas, que ad presens narrare decrevi. Ad amorem mulierum acquirendum. Hanc confectionem nominabat Deytuz, cuius compositio talis est. Recipe medulle algazel, sepi pecoris ana 3β. Liquefiant ambo insimul, quibus camphore, cerebri leporis ana 3 β adiungantur. Et predicta omnia in vase ferreo ponantur ad ignem usque ad liquefactionem predictorum; quibus postea addas camphoram pulverizatam. Et dum omnia erunt insimul mixta, auferantur ab igne. Deinde facias ymaginem ex cera nova compositam, que numquam fuit usui tradita, et habeas in tui voluntate illam mulierem quam cupis. Et in ore ipsius ymaginis facias foramen usque ad ventrem ymaginis penetrans, per quod medicina superius liquefacta in ipsius ymaginis ventrem proiciatur, in qua infusione dicas: Dahyeliz, Hanimidiz, Naffayz, Dabraylez. Deinde ponatur in eius ore zuccari albi 3 ii. Et accipe acum argenteam subtilem, et affigas ipsam in pectore ymaginis quousque a spatulis egrediatur. Et cum acum posueris isto modo, dicas: Hedurez, Tameruz, Hetaytoz, Femurez. Hoc facto, involvas ymaginem in panno albo, et desuper ipsum alium pannum sericum et colore

album, ipsumque serico filo aptabis; et ipsum bene sub pectore stringe, et duo capita fili ad invicem iungantur, que septem nodis innodabis. Et super unumquemque nodum dicas hec verba: Hayranuz, Hedefiuz, Faytamurez, Arminez. Postea ponas ymaginem in ollam terream parvam, quam cum terra aurifabrorum obturabis. Et facias foramen unum in domo in qua habitat ille a quo vel pro quo hoc opus construitur – videlicet in quacumque domo vel loco libuerit. Ibiq; enim ymaginem sepelias, capite superius, et ipsam terra cooperias. Postea recipe incensi, galbani ana 3 ii, et proiciantur in igne. Et dum fumus elevatur, dicas: Beheymerez, Aumauliz, Menemeyduz, Caynaurez. Moveo spiritum talis mulieris N. et eius voluntatem erga talem virum per virtutem istorum spirituum predictorum et per virtutem et potenciam spirituum Beheydras, Metlurez, Auleyuz, Nanitaynuz. Et dum predicta feceris, redeas domum. Scias enim quod huiusmodi mulieris pro qua predictum opus fuerit factum omnes spiritus et voluntates versus illum hominem causa cuius factum fuit hoc opus movebuntur, nec quietare poterit nec dormire nec aliquid facere usque quo homini pro quo tale opus effundetur erit obediens; et hoc virtute spirituum ymaginis predicte. Et ipsa mulier ad domum ymaginis sepulte virtute predictorum deducetur.

Alia confectio ad idem que datur ad comedendum. Recipe coaguli leporis, cerebri lupi ana 3 ii, sepi pecudis liquefacti pondus granorum trium, ambre, muscati ana pondus granorum duorum, camphore pondus trium granorum, sanguinis illius hominis agentis (scilicet pro quo agitur) 3 ii, cuius sanguinem in vase ferreo ad ignem ponas quousque calefiet. Et dum fuerit calefactus, super eum proicias alias medicinas; omnes misceantur. Postea removeantur ab igne, et misceantur cum vino vel melle vel cum ferculis carniarum vel aviarum vel quocumque ferculo volueris. Dum autem predicta feceris, habeas voluntatem firmam in muliere pro qua predicta fuerint facta. Postea recipe modicum incensi, tantumdem galbani, et in ignem proice. Et dum fumus elevatur, dicas: Ye Deyluz, Menydez, Catrudiz, Mebduliz, Huenehenilez. Moveo spiritus et voluntatem talis mulieris N. istorum spirituum et huius compositi virtute, et eius spiritus et voluntatem moveo motu inquietudinis tam in vigilando, dormiendo quam eundo, stando et sedendo. Nec ullam quietudinem habeat quousque obediat istis spiritibus quos nominabimus: Hueheyulyez, Heyediz, Cayimuz, Hendeliz. Et cum predicta feceris hoc modo, cui volueris totum dabis in cibo ut nihil remaneat ex eo. Dum autem predicta medicina erit in stomacho comedentis reposita, non poterit quiescere – imo forti motu movebitur – et veniet obediens in locum quem volueris. Et si forte propter difficultatem contigerit ut eidem in cibo vel potu nullatenus dare possis, recipe confectionem superius graduatam, et loco sanguinis superius dicti ponas sanguinem illius contra quam eris operatus. Et misceantur in unum omnia valde bene. Et similiter misceas in potu vel cibo, et ponas in yrna tue manus. Et accipe incensi et galbani ana 3 ii, et suffumiga cum eo. Et dum fumus elevatur, dicas: Adyeruz, Metayruz, Beryudez, Fardaruz. Moveo spiritus et voluntatem talis erga talem, eamque omnibus suis spiritibus et voluntatibus et corde moveo ut nec quietari nec sedari possit vigilando, dormiendo, loquendo, sedendo nec erigendo quousque sit obediens tali et suam plenarie impleat voluntatem. Et attraho sui cordis spiritus et ipsos erga talem hominem moveo per istorum spirituum virtutem: Vemedeyz, Audurez, Meyurneyz, Sandaruz. Postea des ad comedendum predicta illi pro quo ista taliter sunt operata. Et cum predicta comederit, et in eius stomacho

fuerint descensa, iubeas ut in eius manu incensi, galbani ana 3 ii accipiat et in ignem ipsas proiciat; et cum eisdem suffumigetur. Et dum fumus elevatur, hec nomina dicat: Hamurez, Heydurehiz, Heldemiz, Hermeniz. Et cum predicta dixerit, dicat: istis attrahuntur voluntates illius pro qua fuisti operatus. Cum magno amore et obediencia veniet ad te ut tuam voluntatem et mandata valeat adimplere. Et iterum idem sapiens dixit quod si sanguinem illius habere non poteris, recipe sanguinis lupi et pecudis ana 3 ii, et super ignem in vase ferreo misceantur quemadmodum diximus supra. Et proicias super eos medulle leporis grana ii, medulle lupi grana iii, sepi pecudis grana iiiii, omnia liquefacta et insimul mixta. Adde muscati, camphore, coaguli leporis ana grana ii; et omnia liquefacta misceantur optime et ab igne auferantur. Et ipsum mixtum in potu dabis vel cibo. Et postea suffumigabis cum incenso et galbano. Et dum fumus elevatur, hec verba dicas: Animurez, Maphueluz, Feniz, Fadrulez. Moveo cor, spiritus et voluntates talis erga talem, et eius spiritus moveo, vetando eius dormicionem ut non possit habere requiem aliquam in vigilando, dormiando, stando, eundo vel erigendo. Et moveo eius spiritus et voluntatem et erga predictum eos adduco in virtute spirituum infrascriptorum: Hueytayroz, Beryenuz, Aunuhiz, Andulez. Cum autem predicta huiusmodi dixeris et feceris, cui volueris dabis in cibo. Et quando in eius stomacho residet, accipe incensi, galbani ana 3 ii, pilorum caude lupi, cum quibus hominem qui predicta assumpsit in cibo suffumigabis, ipsumque infrascripta nomina dicenda prout sunt docebis: Heyudez, Maherimeyz, Taydurez, Umeyruz. Cum vero predicta feceris, scias quod spiritus mulieris pro qua sic operatus fuisti et eius natura erga ipsum hominem magno amore movebuntur et appetitu eiusdem; et non poterit in aliquo actu quiescere donec ad ipsum hominem venerit humiliter inclinata.

Alia confectio, id est suffumigacio ad amorem. Recipe vulve lupe et virge leporis ana 3 ii, oculorum muscipuli albi 3 i, sepi canis albi, incensi, galbani ana 3 ii, sepi pecudis ad pondus omnium predictorum in vase ferreo liquefacti; supra proiciantur alia supradicta. Et dum omnia fuerint insimul incorporata, recipe camphore 3 β, sandali albi, ligni aloes ana 3 i, ambre 3 β, muscati quartam partem 3. Pulverizentur, et supra predictam confectionem proiciantur, et ad invicem optime incorporentur. Quo facto, in septem partes equales dividantur. Et accipe 7 thuribula accensis carbonibus repleta, que ante te in una linea recto ordine situabis, et in unoquoque ipsorum suam septimam partem predictae confectionis superius divide ponas. Et dum fumus predictorum thuribulorum elevatur, dicas: Ahayuaraz, Yetaydez, Ahariz, Aharyulez. Moveo cor, spiritus et naturam talis mulieris erga talem virum, et moveo spiritus sui cordis cum amore et appetitu ad ipsum talem, dormicionem, requiem quamcumque prohibendo eidem, et quod non habeat requiem in dormiando, vigilando nec in sedendo nec in quocumque alio actu quousque veniat obediens eidem ad faciendum bene placita et mandata. Et ego attraho et tiro suos spiritus erga ipsum per virtutem istorum spirituum spiritualium: Alhueriz, Heyemiz, Huetudiz, Tueduz. Et cum predicta feceris, tuam domum redeas. Ipsa vero mulier veniet eidem, et eius bene placitis obediet et mandatis.

Item alia ad idem ad odorandum. Recipe coaguli leporis grana ii et unum epar hirci, supra quod proicias incensum pulverizatum. Et ad ignem ponas, ac assetur quousque eius aqua exeat tota ab eo. Postea accipias ipsum tenacibus ferreis, et cum cultello in pluribus locis abscindatur, et in olla

comprimatur quousque tota aqua exeat ab eodem, quam aquam in vase vitreo reservabis. Et cum operari volueris in predictis, recipe aque predicte grana ii, muscati grana iii, ambre grana iiii. Et predicta omnia ad ignem carbonum in vase ferreo ponas quousque liquefiant et insimul incorporentur; postea auferantur ab igne et in vase vitreo reponantur. Et cum volueris operari ex eo, accipe olei ambre fini et purissimi 3 i, quod in vase ferreo ad ignem ponas; et super ipsum confectionem vasis vitrei pondere grani unius ponas, quod liquefacias ut insimul misceantur et incorporentur in unum. Quo facto, accipe incensi et galbani ana 3 ii et cum eisdem suffumigabis eundem. Et dum fumus elevatur, dicas: Yetayroz, Maharahetym, Faytoliz, Andararuz. Moveo cor talis mulieris, eius spiritus et suas voluntates erga talem hominem, et moveo spiritus ipsius cordis versus predictum cum amore et appetitu, dormicionem, requiem et tranquillitatem eidem prohibendo, et quod non habeat aliquam requiem in dormiendo, vigilando, levando vel sedendo. Attraho enim et tiro suos spiritus et voluntates erga ipsum talem virtute istorum spirituum spiritualium: Hueyquitaroz, Hedilez, Menhueriz, Meyefurez. Et cum predicta dixeris, accipe ex oleo predicto, et cum ipso ungas (si poteris) illam pro qua predicta fuerint operata. Quod si non poteris, reponas ipsum in aliquibus ex rebus que ad redolendum congrue reperiuntur, et ipsam pro qua fuerit factum facias redolere. Et statim cum ex ipso inuncta extiterit vel redoleverit, eius spiritus et voluntates motu forti movebuntur magno amore et desiderio erga eum pro quo fuerunt predicta operata, et ipsa non poterit habere requiem tam dormiendo quam vigilando aut requiescendo in quocumque actu quousque veniat obediens et mansueta. Et si forte contingeret quod eidem dare non posses in odore, facias ymaginem cere in sui similitudine formatam, quam eidem transmittas ut ipsius manibus teneat. Et suffumigabis eam cum incenso et galbano per tres dies continuos, scilicet in ortu Solis, verba superius narrata dicendo et cum suffumigacione suffumigando; et ungas te cum oleo supradicto. Et cum predicta feceris hoc modo, eius spiritus et voluntates movebuntur erga ipsum cum amore.

Si autem alio modo volueris operari predicta, accipe ramum myrti vel alterius cuiuscumque arboris bene redolentis vel malum, et ungas ipsum cum predicta medicina composita ad pondus duorum granorum. Et postea cum incenso et galbano suffumigabis ipsum. Et dum suffumigatus fuerit, hec verba dicas: Neforuz, Hemiruliz, Armulez, Feymeriz. Ego moveo cor talis mulieris et eius spiritus et voluntates erga talem hominem, et moveo eius spiritus et naturam versus eum cum amore et appetitu. Et aufero ab ea dormicionem, vigilacionem et requiem in dormiendo, vigilando, erigendo et sedendo. Attraho enim et adduco eam cum virtute istorum spirituum spiritualium: Venehulez, Mantayriz, Feymeluz, Berhunez. Deinde ipsum cui libuerit (videlicet pro qua fuerit factum) facias odorare. Cum autem ipsam odoraverit, statim movebuntur eius spiritus et voluntates forti motu et magno amore et appetitu ita quod non poterit quietari nec quiescere aliquo modo quousque obediens venerit ad locum querentis ad omnes eius voluntates adimplendas. Quod si non eidem dare poteris in odore, facias ymaginem ceream quam superius diximus. Et agens (videlicet ille qui hoc opus fieri iussit) in eius manibus teneat ipsam, et accipiat incensi et galbani ana 3 ii, quas propriis manibus proiciat in ignem. Ipsumque doceas ut hec verba dicat: Heydinez, Beyduriz, Affihuz, Deriyenuz. Et postea facias

odorare ipsum hec ad cuius instanciam factum est opus. Et statim spiritus et voluntates illius pro qua predictum opus extitit conditum et eius cor movebuntur forti motu cum magno amore et appetitu, et non poterit quiescere modo aliquo quietudinis vel tranquillitatis quousque ipsa obediens veniat ad libitum querentis preparata ut eius plenariam voluntatem valeat adimplere.

Has vero quatuor ymagine compositas quas diximus Decaytus nominavit; hec sunt que recitavit Caynez sapiens pro coniunctionibus virorum et mulierum.

Ad amorem regis acquirendum. Cum volueris amorem regis et eius benevolenciam erga populum attrahere, recipe ceram novam que in opere aliquo numquam fuit posita, ex qua facias ymaginem in nomine illius regis quem ad predicta disponere adoptabis. Deinde accipe cerebri algazel 3 β, cerebri leporis 3 i, sanguinis humani 3 ii; misceantur omnia insimul in vase ferreo, et supra ignem ponantur quousque omnia misceantur. Postea super ipsum mixtum proicias camphore pulverizate, ambre ana 3 i, muscati quartam partem 3; et predicta proiciantur supra medicinam primam. Dimitte ea quousque omnia liquefiant et incorporentur insimul. Deinde facias foramen unum in ipsius ymagine capite, per quod huiusmodi medicina in ventrem ymagine proiciatur; ipsumque foramen cum cera optime obturabis. Postea recipe sanguinis humani et sanguinis galli albi, cerebri equi ana 3 iiii, muscati, camphore ana 3 β, sepi pecudis liquefacti 3 ii. Adiungantur hec omnia, et super ignem teneas. Et facias unum foramen in gutture ymagine, per quod ista proicias; et infrigidari permittas. Postea ipsum foramen cum cera claudas. Deinde accipe acum argenteam subtilem, novam, que in aliquo opere numquam extiterit, et ipsam in pectore ymagine taliter affigas ne ad aliam ymagine partem transeat. Et dum ipsam affiges, dicas: Acriuz, Fendeyuz, Nephalez, Feyeduz. Tunc ymaginem in vase terreo, luto exterius circumvoluto, reponas. Et postea accipias incensi, galbani pulverizati, oculorum galli albi ana 3 i; misceantur omnia. Postea accipe ymaginem et predictam suffumigacionem et unum thuribulum, et super altum montem ascendas, a quo illam civitatem videre possis; ibique ei foveam facias ad magnitudinem ymagine, in qua eam sepelias capite deposito desubtus vel reverso. Et super os olle seu vasis lapidem vel laterem ponas, et desuper proicias terram quousque omnia cooperiantur. Quo facto, proicias suffumigacionem in ignem; et dum fumus elevatur, dicas: Acderuz, Madurez, Feyleuz, Hueryreliz. Et postea dicas: Revertor cor talis regis cum amore, amicia, velle bono et misericordia erga talem hominem vel talem populum per virtutem et potenciam istorum spirituum spiritualium: Hueyfeduez, Affimuz, Beefinez, Medariuz. Et scias quod ille rex talem hominem vel populum diliget, eidem suam gratiam largiendo.

Ad inimicicias generandas. Ait enim: confectio ad inimiciciam generandam, que datur ad comedendum; et est talis.

Recipe fellis catti nigri, cerebri porcini ana 3 β, sepi canis nigri 3 ii, opopanacis grana ii. Hec autem confectio comesta inimicie et male voluntatis spiritus attrahit.

Ad idem. Recipe cerebri catti nigri 3 ii, fellis porcini et eius cerebri ana 3 i, virge canis nigri, opopanacis, armoniaci ana 3 β. Ex omnibus autem istis ad invicem incorporatis suffumigacio fiat; et erit ut supra.

Ad idem. Recipe fellis canis nigri grana iii, cerebri porcini, fellis catti nigri,

axungie porci, sulfuris, opopanacis, oculorum catti nigri et olei de caubac ana 3 ii, azernec grana ii, cerebri canis nigri 3 iiiii, pilorum caude eius 3 i. Si ex istis omnibus simul mixtis fiat suffumigacio, voluntatem malam et inimiciciam generat. Quidam vero sapiens has confectiones supradictas fuit operatus, et se veras asseruit invenisse.

Ut vir non habeat desiderium mulieris. Cum autem hoc facere volueris, recipe cerebri catti nigri et granorum mandragore ana 3 β. Ista duo simul misce et optime incorpora. Postea facias ymaginem de cera, et in summitate ipsius capituli foramen facias, per quod predictam confectionem proicias. Deinde facias unam acum ferream, et in ymagine (videlicet in loco ubi delectacio mulieris est) ipsam acum imprime.

Deinde recipe sanguinis porci 3 iiiii, coaguli leporis, cerebri hirundinum ana 3 ii, lactis pecudis et succi myrti ana libram unam. Omnia vero supradicta insimul misce; et cui desiderium mulieris auferre volueris, dabis sibi in potu, et ipsum cum incensi et galbani ana 3 ii simul mixtis suffumiga. Et fiet quod volueris.

Capitulum undecimum. De effectibus ymaginum in rebus diversis necnon et in alteracionibus visus ut videantur res aliter quam sint: et eciam de modo dormiendi, vigilandi, faciendi toxica et eorum remedia.

Has autem confectiones in sapientum huius artis libris, que in dictis Caynez minime reperiebantur, inveni. Et primo ad ligandas linguas ne male de te loquantur. Cum autem linguas ne male loquantur ligare volueris, hanc confectionem inferius graduatam compone. Recipe linguas omnium infrascriptorum, videlicet corvi, aquile, buffi, colubre aquatice, columbi albi, galli albi et upupe. Omnes vero supradictas linguas pulveriza et in unum confice. Postea recipe margaritarum granum unum, auri, argenti, camphore, attincar, aloes ana 3 β. Omnia enim ista pulveriza et insimul misceas, et cum pulvere superius dicto adde, et totum cum melle incorpora. Deinde pone ea in panno serico albo. Postea recipe duos pilos oculorum asturis, duos pilos oculorum pavonis, epar upupe, epar galli, duo ossa ale columbi et duo ossa ale upupe. Omnia autem ista pulveriza, et cum lacte incorpora, et in panno serico supradicto cum mixtura ponas. Postea vero facias ymaginem ex cera alba, quam tuo nomine nominabis, et in suo capite nomen tuum et figuram Solis scribe; in eiusque pectore nomen tuum et Lune figuram similiter scribe. Deinde hanc ymaginem in alio panno serico albo involvas, quam involutam in medio supradicte mixture colloques, et liga totum cum filo serico. Nam qui hanc ymaginem sic aptatam secum portaverit videbit mirabilia, nec aliquis de eo male loquetur, et ab omnibus amabitur et diligetur.

Ad amorem. Recipe cerebri de algazel 3 v, sanguinis leopardi 3 i, coaguli leporis 3 ii. Omnia ista insimul misce et optime incorpora. Et ex ista mixtura des parum in potu vel cibo cui volueris, et amaberis ab eo.

Ad idem. Recipe sanguinis canis albi 3 ii et tantumdem eius cerebri, et cerebri algazel, sanguinis humani ana 3 iiiii. Cum istis simul mixtis et incorporatis quem volueris suffumiga; nam eius spiritus erga te movebitur in amore.

Ad idem. Recipe sanguinis galline eiusque cerebri, sanguinis leporis, sanguinis algazel et sanguinis humani ana 3 iiiii. Omnia vero ista insimul misce et incorpora; et cum istis adde granorum mandragore 3 ii. Si ex istis aliquem suffumigaveris, magna videbis mirabilia.

Ad idem. Recipe cerebri columbi albi eiusque sanguinis et sanguinis aquile ana 3 ii, coaguli leporis 3 i, cerebri asturis 3 β. Omnia ista in unum misce et bene incorpora. Et ex eo cui volueris dabis in cibo, et ab eo amaberis.

Ad idem. Recipe sanguinis galli, sanguinis leopardi, coaguli leporis ana 3 i, sanguinis humani 3 ii. Omnia ista insimul incorpora, et cum eis addas euforbii 3 i. Quemcumque autem cum ista confectione suffumigas, ab eo diligeris, et eius spiritus et voluntates erga te movebuntur.

Ad idem. Recipe sanguinis passeris eiusque cerebri ana 3 ii, sanguinis muscipule et eius cerebri ana 3 i, sanguinis humani 3 iii, euforbii terciam partem 3. Misceantur, et da in potu cui volueris.

Ad idem. Recipe cerebri gatti nigri, urine hominis ana. Misceantur, et da in cibo cui volueris; et eius spiritus et voluntates erga te in amorem movebuntur.

Ad idem. Recipe sanguinis canis rubei eiusque cerebri ana 3 iii, coaguli leporis, sanguinis columbe, sanguinis galli ana 3 ii, euforbii 3 i. Misceantur omnia, et quemcumque volueris suffumiga cum eodem.

Ad idem. Recipe sanguinis asini 3 viii, sanguinis vulpis, sanguinis ericii ana 3 i. Misceantur omnia, et predictae commixtionis adiungantur euforbii 3 ii. Et quem volueris suffumigabis cum eodem.

Ad discordiam et inimiciciam generandam. He vero confectiones pro inimicicia et mala voluntate componuntur.

Recipe sanguinis canis nigri 3 iii, sanguinis porci eiusque cerebri ana 3 ii, cerebri asini 3 i. Omnia vero ista insimul misce et bene incorpora. Et ex ista medicina cuicumque in potu vel cibo dederis, odio te habebit.

Ad idem. Recipe sanguinis gatti nigri, agni casti ana 3 iii, cerebri milvi et sanguinis eius, sanguinis vulpis ana 3 ii, agni casti 3 iii. Pulveriza enim agnum castum, et postea omnia insimul misce. Si vero ex istis aliquem suffumigaveris, expurgetur eius amor, et eius voluntas et spiritus ab amore recedent.

Ad idem. Recipe sanguinis vulpis, sanguinis simie ana 3 ii, sanguinis gatti, sanguinis lupi, cerebri simie, cerebri porci ana 3 i. Si ex omnibus istis simul mixtis et incorporatis alicui dederis in cibo, fiet ut supra.

Ad idem. Recipe cerebri buffi, cerebri gruis ana 3 ii, sanguinis canis rubei, sanguinis gatti nigri ana 3 iii, axungie porci, cerebri canis rubei ana 3 i. Omnia insimul misce, et cum istis adde pentaflon 3 iii. Et ex istis illum suffumiga a quo odiri volueris.

Ad idem. Recipe sanguinis humani, sanguinis asini ana 3 iii, sanguinis leopardi 3 i. Omnia insimul misce, et cui volueris dabis in cibo; et fiet ut supra.

Ad idem. Recipe sanguinis canis nigri, sanguinis aquile ana 3 iii, sanguinis asini 3 i. Calefacias ista, et cum eis agni casti 3 ii misceas. Ex istis enim mixtis illi suffumigatio fiet quem volueris ut odiat.

He sunt quatuor suffumigationes que ad inimicicias, divisiones et depopulationes fiunt.

Prima earum est: recipe sanguinis gatti nigri, cerebri canis rubei, sanguinis vulpis ana. Misceantur omnia, et ex eisdem adiungantur eupericon, agni casti ana 3 ii. Et quem volueris cum eodem suffumigabis.

Secunda ad idem. Recipe coaguli porci, axungie ipsius, sanguinis muscipule ana 3 iii, cerebri arrahama 3 i. Misceantur omnia, et eidem adiungantur eupericon et pentaflon ana quantum sint omnia supradicta. Pulverizentur omnia insimul. Et suffumigabis quem volueris cum eodem.

Tercia ad idem. Recipe cerebri gruis, sanguinis milvi ana 3 viii, coaguli

leporis, eiusdem sanguinis ana 3 i, pinguedinis asini ana 3 i. Misceantur omnia, et eidem addatur agnus castus ad pondus omnium. Et quem ex istis suffumigabis, fiet ut supra.

Quarta ad idem. Recipe sanguinis corvi, sanguinis vulturis ana 3 i, pinguedinis asini eiusque sanguinis ana 3 iiii. Omnia misceantur, eisque addatur agnus castus ad pondus omnium; ex quibus suffumigabis, fiet ut supra.

Ad idem. Recipe cerebri gatti nigri 3 iiii. Pulverizentur, et cum tantumdem humani stercoris sicci et pulverizati misceantur. Et cui volueris dabis in cibo; nam ille odiet.

Aristoteles ϵait: Qui vero sciverit et instructus fuerit in separacionibus et adiunctionibus spirituum et naturarum et ordinibus mundi maioris et minoris cognoscet et sciet separaciones et coniunctiones omnium rerum tam spiritualium quam corporalium ad invicem.

He sunt septem confectiones que hominibus dantur in cibo ut cum mulieribus se commiscere non possint.

Prima harum est ut accipias cerebri equi, pinguedinis porci, sanguinis gatti nigri ana 3 ii. Misceantur omnia cum 3 i coloquintide pulverizate, ex quo mixto dabis cui volueris modicum in cibo.

Secunda ad idem. Recipe cerebri equi, pinguedinis porci, sanguinis lupi ana. Misceantur omnia. Et cui volueris mediam dragmam dabis in cibo; et fiet ut supra.

Tercia ad idem. Recipe sanguinis simie eiusque cerebri, pinguedinis strucii, cornu cervi eiusque oculorum et eius unguarum, omnium partes equales. Pulverizentur omnia, et ad invicem misceantur; et cui volueris 3 β dabis in cibo.

Quarta ad idem. Recipe cerebri asini 3 iiii, axungie porci 3 i, sanguinis equi 3 ii. Misceantur omnia; et cui volueris 3 β dabis in cibo.

Quinta ad idem. Recipe ossium porci pulverizatorum 3 iiii, foliorum Persicorum 3 ii, pellis lupi combuste, oculorum gatti nigri, cerebri asini ana 3 ii. Misceantur omnia insimul; et cui volueris dabis in cibo 3 β.

Sexta ad idem. Recipe sanguinis gatti nigri, cerebri bovis marini ana. Misceantur; et cui volueris dabis in cibo 3 β.

He sunt septem confectiones que faciunt dormire et omnes spiritus corporis quiescere; et creditur quod interficiunt.

Prima harum est ista. Recipe cerebri porci, cerebri chami (et est quoddam animal simile cervo) ana, seminis mandragore ad pondus predictorum. Et cui volueris 3 mediam in potu dabis vel in cibo.

Secunda ad idem. Recipe seminis papaveris nigri silvestris 3 iiii, cerebri vulpis, cerebri hominis, fellis porci ana 3 i. Misceantur; et cui volueris dabis parum in cibo.

Tercia ad idem. Recipe sudoris hominis, sanguinis gatti nigri ana, seminis mandragore ad pondus omnium. Misceantur omnia, ex quo cui volueris 3 β dabis in cibo.

Quarta ad idem. Recipe cerebri porci, sanguinis gatti nigri ana 3 β. Misceantur; et cui volueris dabis in cibo.

Quinta ad idem. Recipe cerebri columbe, sanguinis porci, axungie serpentis qui aspis surda appellatur partes equales. Misceantur; et cui volueris 3 β dabis in cibo.

Sexta ad idem. Recipe urine gatti 3 iiii, sudoris equi 3 ii, coloquintide 3 i.

Misceantur omnia; et cui volueris quartas iii unius 3 dabis in cibo.

Septima ad idem. Recipe succi rute silvestris, sudoris hominis, cerebri porci partes equales. Misceantur omnia insimul; et cui volueris 3 β dabis in cibo. Hec autem confectio virtute suorum spirituum interficit.

[He sunt decem confectiones que faciunt dormire et interficiunt.]

Et similiter in Libro [Met]hedeytoz reperiuntur decem confectiones que faciunt dormire et interficiunt.

Quarum prima est talis. Recipe urine gatti nigri coagulate 3 ii, cerebri muris, cerebri chami ana 3 i. Et cui volueris 3 β dabis in cibo.

Secunda ad idem. Recipe cerebri porci, sudoris eiusdem, salis urine hominis partes equales. Misceantur insimul; et cui volueris dabis in cibo.

Tercia ad idem. Recipe axungie simie, cerebri canis, sanguinis racani sive lagarii (id est lacerte magne viridis) ana 3 ii. Misceantur insimul; et cui volueris 3 β dabis in cibo.

Quarta ad idem. Recipe cerebri asini, sudoris hominis partes equales.

Misceantur insimul; et cui volueris 3 β dabis in cibo. Et fiet ut supra.

Quinta ad idem. Recipe spermatis hominis, cerebri algazel partes equales, sudoris bestie ad pondus predictorum. Misceantur insimul; et cui volueris dabis 3 β in cibo.

[Sexta ad idem. Recipe spermatis hominis, cerebri algazel partes equales.

Misceantur insimul; et cui volueris quartam partem dragme dabis in cibo.]

Septima ad idem. Recipe cerebri gatti nigri, cerebri vespertilionis, axungie lupi partes equales. Misceantur omnia; et cui volueris 3 i dabis in cibo.

Octava ad idem. Recipe cerebri muris, sanguinis corvi nigri partes equales, coloquintide quartam partem predictorum. Misceantur omnia; et cui volueris 3 i dabis in cibo.

Nona ad idem. Recipe fellis ursi eiusque cerebri ana 3 ii, sanguinis muris, axungie gatti nigri ana 3 i. Misceantur omnia; et cui volueris 3 i dabis in cibo.

Decima ad idem. Recipe cerebri simie, cerebri hominis partes equales.

Misceantur insimul; et cui volueris 3 i dabis in cibo.

Supradicte autem decem confectiones habent virtutes et potencias a planetis et stellis fixis, virtutibus rerum ex quibus sunt composite mixtas; ex qua quidem commixtione resultat una potencia spiritualis. Et predicta inveniuntur in libro qui nuncupatur Hedeytoz, a sapiente Hermete compilato. In quo quidem libro recitavit unam maneriem miraculose compositam faciendi, et est ad retrahendum ab hominibus omnia maleficia, scilicet qui hanc confectionem portaverunt secum. Contra maleficia seu fascinaciones hominum. Recipe spinam et caput rane; terantur insimul. Deinde <ponas in> panno serico cum peonia et berberis aloaxac, cerebri asini – omnium exsiccorum – ana 3 i. Et qui timuerit secum deferat, et a predictis erit securus. Hanc vero confectionem fecit Galienus cuidam regi suo tempore dominantis.

Mirabilia que ex proprietatibus hominis fiunt. In preallegato libro idem sapiens dixit quod in corpore hominis sunt multa mirabilia ex operibus nigromancie quando cum eis operatur quemadmodum sapientes faciebant qui hanc scienciam inveniunt. Ex quibus Hermes scripsit mirabilem confectionem que mirabilia multa demonstrat, quam sic construebat. Accipiebat enim caput hominis integrum noviter mortui, et ipsum in olla magna reponebat. Et cum eo ponebat opii novi 3 viii, sanguinis humani, olei de sisamo ana, quousque predicta ex eis possint cooperiri; cuius olle os optime obturabat cum luto et

super ignem carbonum mansuetum per horas xxiiii integras ponebat. Postea ipsum removebat ab igne et infrigidari permittebat. Et predicta colabat et eius vultus cooperiebat, et inveniebat omnia ad similitudinem olei liquefacta; et reservabat eum. Et dicebat in hoc oleo multa mirabilia esse; et primo ad videndum ea que videre volueris. Si ex predicto oleo lumen accenderis vel cum eo aliquid unxeris vel ex ipso alicui in cibo parum dederis, quodcumque volueris videbis.

Ad apparentum in forma cuiuslibet animalis [libuerit]. Recipe caput illius animalis quod volueris et eius axungiam, nucem scialtam quantum oportuerit cuiuslibet eorum. Et cooperiantur ex oleo in olla; et ad ignem mansuetum per diem et noctem ponatur quousque eius oleum totum currat. Et dum fuerit infrigidatum, optime coletur. Si ex eo lumen accenderis et eius faciem inunxerit cum predicto, in forma ipsius animalis astantibus apparebit. Et hoc potest fieri de capitibus diversorum animalium, et similiter apparebit diversorum animalium.

Ad sensus et cogitationes perdendum. Recipe caput hominis nuper incisum, et ipsum in olla magna colloques; et eius splenem, cor et epar secum ponas. Deinde in eadem pone capita infrascriptorum animalium, videlicet gatti, vulpis, simie, galli, upupe, corvi, milvi, vespertilionis, anseris, hirundinis, testudinis, bubonis. Postea omnia predicta in olla cooperiantur oleo, cuius os optime cum luto obturetur; ipsamque super ignem mansuetum ponas, in quo per tres dies et totidem noctes continue morari permittas. Postea ab igne deponatur, et infrigidari permittas. Et predicta vultu cooperto colabis. Deinde in olla reservabis. Postea recipe ossa capitum predictorum, que in aliqua alia olla comburantur quousque in pulverem sint redacta, cum quo pulvere semen iusquiami nigri, nucis scialte misceantur; et tecum ad usum reservabis. Cum autem predicta volueris operari, ex ipso pulvere cui volueris dabis in cibo vel in potu, et ex ipso oleo tria lumina accendas; et que affectasti videbis. [Ad apparentum mirabilia in figura.] Recipe ex oleo predicto, et tuam faciem ungas cum eo. Et ingrediaris domum predictis luminibus illuminatam; apparebis enim astantibus quasi monstrum in natura.

Ad sensum et memoriam amittendam. Recipe cerebri asturis, cerebri muris, cerebri gatti ana 3 ii, sulfuris, mirre ana 3β. Misceantur omnia, et dimittantur quousque sint putrefacta. Et cum volueris operari, recipe ex eo 3 β, stercoris gruis tantumdem; misceantur in unum, et in ignem proiciatur ut eius fumus elevetur. Et qui ipsum fumum per nares susceperit, demoniabitur, et sensum et memoriam amittet, et in quo loco fuerit cognoscere non valebit. Multa alia mirabilia que fiunt ex corpore hominis. In quodam libro a sapiente Geber Credito inveni multa mirabilia que fiunt ex corpore hominis. Qui sic dicit. Ego Geber vidi elementa que faciebant labores suos quando erant composita; simplicia autem nihil operabantur [nisi] quia erant existencia in se. Sed quando ad invicem coniungebantur ita quod omnia quatuor convenirent, vidi quod creabant et faciebant nasci, crescere et vivere. Et quando unum ex illis quatuor deerat, vidi quod faciebant mori, desiccari ac corrumpi. Ego incipio in homine, et de capite primo.

Et dico quod cerebrum illius valet illis qui amiserunt memoriam si de cerebro illorum comederint.

Craneum combustum et bibitum cum syrupo de squilla per novem dies sanat epilepticos.

Oculus hominis iunctus cum oculo lupi, quicumque istos duos secum portaverit, nullus oculus malus nec lingua mala eum impedire poterit. Eius capilli combusti et pulverizati, commixti cum laudano, calefaciunt cerebrum.

Saliva hominis ieiuni sanat scabiem si quis madefaciat eam sepe.

Saliva hominis vel mulieris ieiuni posita in capite vel ore serpentis, morietur cito.

Lingua mulieris iuvat illos qui facere volunt ficticia vel incantaciones.

Si quis furari voluerit vel aliquid auferre, secum linguam hominis et linguam milvi deferat.

Aqua sanguinis imbibita in azernec sublimato facit illud intrare intus in ere resolutum ad ignem.

Cerumen auris facit cito fundere vel consolidare Lunam vel Solem; et cum ipso potest quis ita cito solidare sicut cum attincar.

Cerumen auris confectum cum opio facit multum dormire.

Ius capitis hominis bibitum cum commixtione cerebri sanat amentes.

Abrasis unguibus manuum et pedum cum cultello eris rubei, Luna existente cum Iove, et combure eos cum fuerit iuncta Soli; de istis autem pulveribus dabis bibere cui volueris ut te diligat, atque proicias super eius vestimenta.

Ut lepra nova vel scabies, genus lepre, non crescat, da pacienci comedere pulverem summitatis virge hominis combuste; et amplius non crescet.

Urina hominis comburit omnem locum per quem transit. Et si aliquis est scabiosus, abluat se cum illa; et erit cito sanus.

Stercus humanum ad Solem desiccatum et pulverizatum ac proiectum super aurum in quo sit ferrum corrodit ferrum et destruit illud, et mundificat aurum.

Oleum de stercore mollificat Solem et Lunam et augmentat colorem illorum.

Qui habet malum mortuum in tibiis abluat tibias cum aqua stercoris tribus vicibus distillata et superponat pulverem eiusdem stercoris calcinati; sanabitur cito.

Paciens acutam febrem abluat caput cum aqua sanguinis humani; et curabitur.

Cum aqua sanguinis abluatur plaga, et proiciatur calx eiusdem sanguinis super plagam; et sanabitur.

Omnis combustio tam ignis quam aque ferventis, si abluatur primo cum aqua stercoris, et proiciatur desuper pulvis sanguinis calcinati, liberabitur.

Si videris infirmum qui non possit convalescere aliqua medicina, abluat eum cum aqua sanguinis; et meliorabitur.

Quicumque habet siccitatem magnam intus in corpore, da ei bibere aquam sanguinis; et liberabitur.

Si quis paciatur fluxum ventris, da ei morcellas de quocumque sanguine volueris; et sanabitur.

Si quis habuerit quartanam, accipe de osse brachii hominis et de osse summitatis ale anseris, et deferat secum; et sanabitur.

Omnis homo mala somnians somnia lavetur cum aqua stercoris, et sanabitur.

Oleum stercoris ter distillatum et imbibitum amalgama Solis, et aqua viridis alfadite cum aqua cinabarii soluta tingit Lunam et alia metalla.

Collirium de felle hominis factum sanat oculos lacrimantes et in quibus est

nebula.

Quicumque cancrum habuerit vel fistulam comburat sanguinem et faciat inde calcem, et proice calcem supra; sed primo abluat locum cum aqua sanguinis distillata.

Omne stercus hominis desiccatum ad Solem est multum forte et acutum, et aufert reumatismum ac morbum ab equis et ab aliis animalibus, et iuvat oculos, et aufert nubem ab oculis bestiarum.

Menstruum mulieris cuicumque dabitur fiet leprosus; et si quis in balneo susceperit, cito morietur.

Cura. Accipe sperma hominis, et da illi ad bibendum; et sanabitur. Similiter sanabitur si ei fuissent date aliquae herbe male amreps.

Fac bursam de corde hominis, et eam impleas sanguine trium aliorum hominum et eam calefacias ad ignem, et voca demones; et respondebunt.

Accipe sudorem tuum in pelvi bene munda et pulchra; deinde pone illum in vase vitreo. Et ibidem ponas de rasuris que sunt sub pedibus tuis cum aliquantulo stercoris tui desiccati ad Solem, et unam radicem herbe que in Arabico dicitur, in Latino vero valeriana. Et cuicumque volueris da ad bibendum; et diliget te.

Ego Geber hoc expertus sum, et verissimum est. Sed mulieres addunt aquam cum qua lavant nates suas, tenendo nates versus orientem.

Omnis caro et ossa hominis combusta movent et provocant benevolenciam.

Tres mesure mortuorum hominum – id est, ter mensurabis mortuum; et cum tali mensura mensurabis brachium a cubito usque ad digitum maiorem, et ab humero usque ad illum digitum, et postea a capite usque ad pedes. Et deperdentur et retrogradabuntur.

Sanguis abstractus de digito sinistro quando Luna est cum Sole, et alia vice quando Luna est cum Venere, et datus quando Luna est in opposito Solis – istud provocat dilectionem. Et istud est experimentum Egipciorum; et ego multos probantes vidi et virtutem invenientes.

Aqua stercoris et limaciarum dissolvit tartarum. Et extingue in ea laminas eris; et fiet albe. Et proice in alumen de pluma et azech soluto; et erit melius.

Accipe corium vulve mulieris in girum ita ut teneat se cum suo foramine; et quodcumque videris medium, erit signum mortis. Et est res magne puritatis. Et similiter facit infirmari. Et istud abstractum fuit de Greco ab illis qui dicuntur Ephesii.

Virga hominis excoriata, et pellis similiter facta et mollificata cum sale et farina sicut baldies – scias quod poteris ligare et solvere cum ea.

Testiculi hominis sicci et pulverizati, cum thure et mastice, cinnamomo et gariofilis comesti, iuvenescere faciunt hominem et dant bonum colorem verissime.

Oculi hominis positi in corio colubri et ligati faciunt ut quicumque te videant te diligant et non te impediunt, sed erunt bene tecum.

Quicumque febricitans et alter paciens dolorem capitis, si inunxerit caput suum cum lacte mulieris, removet dolorem.

Lac mulieris cum opio facit dormire febricitantes et alios qui non possunt dormire.

Si per iter secure ire volueris, ex semine tuo et cerumine auris tue fac pillulam unam quam ad tuum suspende collum; et ibis secure. Sapientes quidam hanc secum deferebant, dicentes quod in ea quamplures latebant

proprietates. Et quidam ex eis volunt quod essent 72, in quibus omnibus causam assignabant cui nullus contradicere valuit.

Umbilicus nati in panno serico rubeo involutus cum lingua rane viridis de ficulnea – qui secum ista portaverit honorabitur a suo domino et ab aliis eciam. Quicumque malas pustulas habuerit aut scabiem malam ungat se ad Solem calidum cum oleo sanguinis ter distillato, et superproiciat terram sanguinis; et liberabitur. Hanc autem sepcies aut plus faciet. Istud vero iam demonstravimus in libro De proprietatibus.

Brachium hominis dextrum cum capite leporarii in domo alicuius valet contra ficticia.

Alcohol fellis humani cum oculo gatti iuvat et acutam facit lucem; et qui hoc facit, ut res mirabiles que videntur demones videat hoc facit.

Recipe sanguinem humanum, et mole cum lapide magnetis et cum lucula mortifera, que herba lucia dicitur. Et fac inde massam, et eam in vasculo auri vel argenti tecum deferas; et habebis posse super omnia incantamenta et ludos et ficticia, et maxime si hanc propriis manibus collegeris, et sit ex tuo corpore sanguis. Sed quidam mihi retulit, qui fuerat de Baldach, quod similem virtutem habet illa herba que in Arabico dicitur fu, in Latino valeriana, in Greco quidem amantilla. Et dixit mihi quod virtus huius confectionis erat causa benevolencie, sumpta vel data ad bibendum.

Accipe vulvam mulieris (id est, pellem), et porta cum lingua serpentis ligatam in panno croceo supra te; et eris potens in faciendo divisiones et amicicias. Idem facit capillus de pectine mulieris.

Hec autem supradicta inveni omnia in quodam libro a sapiente Geber edito. In libro vero [Met]hedytoz infrascripta experimenta inveni.

Ad visum amittendum per suffumigacionem. Recipe sanguinis canis, asini, gatti, hirci, bovis partes equales. Misceantur omnes isti sanguines insimul, et super ignem mansuetum apponas quousque in unum misceantur. Postea in ipso proicias azerne pulverizati, argenti vivi sublimati ana partem unam. Misceantur omnia insimul, et in una olla proiciantur, quam cum luto optime obturabis, et in fimo quousque putrefiat ponas. Deinde auferas ab eodem, et a suo odore cavebis. Et si 3 β ex hac confectione in igne posueris, qui hunc fumum susceperit, claudetur eius visus oculi caligine ne ulterius lucem videre poterit. Cura. Recipe succi feniculi, coriandri viridis. Misceantur, et oculis imponantur; et ab hac occasione liberabitur cecitas.

Ad auferendum loquelam. Recipe fellis galli, fellis ursi ana 3 ii, sanguinis vespertilionis 3 iiiii, seminis lactuce, seminis papaveris nigri, radice mandragore ana 3 β. Liquefacias sanguinem, et misceas cum aliis; et optime incorporentur; et exsiccari permittas. Et postea pulverizentur cum vino veteri plurium annorum, et fiant trocisci ponderis 3 β; ex quibus si unum alicui in potu dederis vel cibo, linguam penitus amittet nec loqui poterit ullo modo. Cura. Facias os infirmi cum oleo vel butiro impleri, ipsum clausum tenendo.

Ad auferendum auditum. Recipe mandragore, fellis bovini, fellis hirci partes equales. Misceantur omnia, et insimul pulverizentur; quibus pulverizatis, putrescere permittas. Et ex hoc cui volueris 3 β dabis in cibo; et amittet totaliter auditum. Cura. Proiciatur succus rute in aures infirmi; et liberabitur.

Ad discordiam et inimiciciam generandas. Recipe capita racani, colubri, pilorum canis et gatti nigri partes equales. Misceantur insimul, et in olla

comburantur quousque pulverizari possint; ex quo si in aliquo loco inter homines proieceris, crescent inter eos inimicie et lites quousque ad invicem interficientur. Cura. Recipe seminis malvavisti 3 iiii, sanguinis columbe albe eiusque fellis ana 3 ii. Pulverizentur omnia, et cum sanguine misceantur ad ignem; et trocisci fiant ponderis 3 β. Et cum volueris talem discordiam auferre, pulveriza unum trociscum, et sic pulverizatum in loco proicias – videlicet ubi alium pulverem proiecisti. Et statim auferetur inde spiritus discordie et inimicie supradicte.

Confectio ad dormiendum. Recipe opii, seminis iusquiami nigri ana 3 β, nucis muscate, gallie, ligni aloes novi ana 6 partem 3. Pulverizentur, et in unum cum succo coriandri viridis incorporentur; et in olla putrefieri permitte taliter ut eius complexiones et spiritus ad invicem misceantur. Deinde ab olla extrahas eum, et cui volueris 3 β dabis in potu; et dormiet per magnum spacium temporis quod non excitabitur.

Ad idem. Recipe nucis scialte, azernec rubei, seminis mandragore vel eius corticis, papaveris nigri ana 3 iiii, croci 3 vi, seminis iusquiami 3 ii. Omnia insimul misceantur, et per tres dies ad putrefiendum dimittas; quibus finitis, removeas. Et cui volueris mixtum cum vino 3 β dabis in potu.

Ad idem. Recipe opii, corticis mandragore, seminis lactuce, ramorum nucis scialte, succi arcole, ellebori nigri, seminis papaveris nigri partes equales. Pulverizentur omnia, insimul misceantur, et incorporentur cum vino veteri plurium annorum ad pondus omnium predictorum; et per septem dies ad putrefiendum dimittas. Postea removeas inde, et cui volueris 3 β dabis in cibo.

Ad idem. Recipe succi iusquiami, succi mandragore, succi coriandri viridis, succi lactuce, succi nucis scialte, aceycaran partes equales, opii decimam partem omnium supradictorum. Misceantur omnia insimul. Deinde recipe ayrop factum ex ficibus pistatis iiii vicibus in torculo in quo uve pistantur, et recipe de illo ayrop tantum quantum fuerint alia. Et omnia in unum misceantur; et ad putrefiendum ponas eundem quousque misceantur omnes eius complexiones et spiritus in unum. Ex hac autem confectione non dabis pro dosi nisi quartam partem 3, et hoc propter nimiam fortitudinem quam suis spiritibus habet in predictis.

Venena mortifera. Recipe scorpionis sicci, nucis scialte, papaveris nigri, coloquintide partes equales. Misceantur in unum et pulverizentur, et ad putrefiendum ponantur. Caveas tibi ab eodem quia quarta pars 3 eiusdem interficit hominem.

Ad idem. Recipe condisi, ariole, euforbii recentis partes equales. Misceantur in unum; et ad putrefiendum cum felle bivore ad pondus omnium pone – scilicet in olla apta ad hoc – et ibidem quousque putrefiat dimitte. Postea ab eadem removeatur. Caveas ab eodem quoniam propter eius nimiam caliditatem et superfluum acuitatem damnat et destruit sanguinem cordis et velociter hominem interficit.

Ad idem. Recipe ranas quantas poteris habere, et ipsas ponas in veru quamlibet divisim (scilicet quamlibet in suo veru), ab ore per foramen ani transeundo; et ponas ipsas erectas, ipsis manentibus oribus propriis versus terram. Postea habeas vasa plumbea in quibus oleum ab oribus earum emanans recolligas. Et scias quod posterius oleum multum est efficacius in hoc opere primo; ipsumque usui reservabis. Huiusmodi autem oleum propter damnationem membrorum fortissime interficit et damnat. Primus autem qui hoc venenum mortiferum invenit fuit Rufus, ipsumque probavit et mirabilia

magna invenit in eo.

Lapis mirabilis contra venena compositus. Solebant reges Indie hunc infrascriptum lapidem fieri facere, et hoc propter miracula que inter omnia nobilia apud ipsos existencia ad defendendum et evitandum omnia pericula venenorum. Huius vero lapidis compositio talis est. Recipe oculos decem cervorum, oculos decem bivorarum vel colubrorum venenosorum; si bivoras habere non poteris, tot tamen ut ponderi ipsorum decem equipolleant; et quantum est pondus unius eorum, tantumdem accipe ex fronte buffi. Siccentur omnia mudenturque peroptime, et pulverizentur subtilissime; et quantum poteris cum sindone cribrabis pure. Deinde misceantur insimul et iterum optime pulverizentur. Postea ponantur in olla vitreata os angustissimum habente. Postea recipe vini acris ex cedro facti, succi ravanorum ana 3 viii, telarum araneorum albarum et nitidarum, masticis ana 3 i; quas telas araneorum minutissime minutabis, et cum mastice proicies in succis duobus supradictis. Ibique ea per duos dies et totidem noctes permaneant. Deinde leviter et plane colabis et cum pulveribus olle supradictis proicies. Quo facto, os olle nobilissime obturabis, et ipsam in stramine combusto sepelies, ibidem dimittendo quousque omnia dissolvantur et ad similitudinem quasi olei reducantur. Postea cum aqua misceantur, et iterum in eodem stramine combusto reponantur quousque aqua tota sit consumpta, et revertatur taliter ut possit coadunari. Quo facto, ab eodem removeatur, et in testa ovi evacuetur ut rotundus efficiatur. Et alia testa ovi desuper ponatur claudaturque optime, et in eodem stramine combusto iterum ponatur; et ibidem dimittatur quousque modicum coaguletur. Et postea extrahatur per foramen et in panno serico involvatur, et ponatur in pane ad clibanum et decoquatur. Quo facto, auferatur ab eodem et in stomacho alicuius avis ponatur; quo posito, predicta avis assetur. Deinde auferatur a stomacho dicte avis. Et si inveneris ipsum bene solidum ad instar lapidis, bene quidem; sin autem, reitera in alio stomacho alterius avis. Ut prius assabis, et sic faciendo procedas quousque lapis efficiatur, in quo quidem per eius foramen ponatur filum; et cum ipso filo super lumbos precingatur. Reges autem Indie hoc modo hunc lapidem faciebant, et continue eum super lumbos ferebant. Effectus ipsius lapidis est quod si aliquod venenosum ante ipsum in cibo vel potu apponatur vel in aliqua alia re, motu magno movebitur lapis ille et magno sudore sudabit. Et hoc est notissimum apud eos, et est unum e mirabilibus magnis que erant apud eos.

Qui vero hunc lapidem primo sua industria compilavit fuit Behentater rex, qui fuit unus ex regibus Indie, sapiens valde. Ipse enim edificavit civitatem de Menif, in qua edificia magna edificavit, et in ipsis edificiis ymagines vociferantes construxit. Hic autem fuit qui invenit computaciones amoris per numerum, quod est unum quid penes eos mirabile valde. He vero computaciones quando [alicui] dantur in cibo vel potu vel alia quacumque re duabus personis, optima coniungentur amicitia et multum ad invicem diligentur. Et si predicti numeri sculpentur in ligno, et cum ipso panem vel aliquid comestibile sigillaveris ipsumque ei dederis comedere, te magno diliget amore. Et si ipsos numeros in tuo signaveris panno, a te non poterit separari; et si in pannis qui in plateis mercandi causa adducuntur ipsos figurabis, idem continget. Minorque numerus ex ipsis est 220, maior vero numerus est 284. Opus autem predictorum numerorum tale est. Figurabis numerum minorem et maiorem figuris algorismi. Et da minorem cui libuerit

in cibo; tu vero maiorem comedas. Ipse vero erit obediens tibi quemadmodum minor est obediens maiori, et diligeris ab eodem propter mirabilem proprietatem et potenciam computacionis predictae. Hec vero computacio fit similiter in granis passularum et in granis malorum granatorum et in quibuscumque volueris ex fructibus comedendis. Et hoc fit per numerum et non per figuras. Ego autem predictas computaciones prout sunt multociens sum expertus, et inveni veritatem in eis prout superius est narratum.

Predictus quidem rex fecit hominibus Egipti duodecim pascua in 12 mensibus – videlicet, unum in quolibet mense. Preterea fecit domum totam ymaginibus circumvolutam, que vero ymagines ab omnibus languoribus curabant. In capite vero cuiuslibet earum pro qua infirmitate deputabatur figuravit. Et homines ipsius loci ipsis ymaginibus ab eorum infirmitatibus multo tempore curabantur hoc modo. Accedebant ad ipsas ymagines, et ymagini eidem infirmitati deputate eorum infirmitates exponebant, ab ea sanitatem impetrando; et statim sanabantur ex ea. Preterea prefatus rex fecit ymaginem in forma hominis ridentis, cuius ymaginis virtus erat et potencia: quicumque tristis vel melancolia oppressus prefatam ymaginem inspiciebat, statim alacer et ridens efficiebatur, et eius cogitaciones tradebat oblivioni. Et in tantum huius ymaginis effectus inter eos processit quod ipsam quasi deum colebant. Preterea idem rex in eadem civitate ymaginem eream fecit duas alas extensas habentem, et ipsam auro linivit totam. Deinde in loco civitatis posuit ipsam. Huius vero virtus talis erat quod quicumque penes eam transiret – tam viri quam mulieres qui adulterium commisissent – discooperiebant eorum naturam, nec ultra evadere poterant quin ipsi ymagini se discooperirent. Hanc ymaginem idem rex construxit ut eius populus a fornicacionibus precaveret. Qui ante hanc ymaginem discooperiebatur tamquam fornicator vel fornicatrix ad conspectum regis ducebatur et pro tali scelere veraciter reus reputabatur, et secundum eorum statuta merito puniebatur. Qua de causa tam viri quam mulieres eius populi a predictis nefandis cavebant.

Preterea fecit idem rex vas terreum quod implevit aqua, ex quo totus exercitus bibebat, nec aqua minuebatur ex eo. Iste vero rex fuit tempore magni Alexandri, et dicitur quod hoc vas cum aliquibus aliis mirabilibus presentavit eidem. Quod vas fuit constructum magisteriis artificialibus sciencie, proprietatibus nature, et sciencia fortitudinum, spirituum planetarum et stellarum fixarum. Preterea hoc modo facta fuit pila quam fecit Acaym rex Indie in porta civitatis Nube, que ex marmore nigro fuit facta et erat tota aqua repleta. Et quantumcumque ab ea auferebatur ea minime deficiebat; et erat hoc propter quod humiditates aeris virtute magisterii quo fuit facta attrahebat. Hoc vero opus construxit ad populi restauracionem propter distanciam eiusdem civitatis a flumine Nili et eius propinquitatem mari salso, ex cuius proprietate accidebat quod ex radiis solaribus ab ipsa maris aqua elevabantur vapores grossi et humidi, ex quibus subtiliores in aere a salsedine depurati subtilissimis magisteriis geometricis et scienciis nigromanticis in ipsam pilam quasi ex aere rorando descendebant. Qua de causa numquam deficiebat propter attractionem predictam, que attractio fiebat quemadmodum lapis sanguinis attrahit ipsum cum ponitur circa ipsum.

Qui Indi preter predicta habent alia mirabilia magna, ex quibus aliqua ex

eis ad presens proposui recitare. Ad omnes motus corporis prohibendum. Recipe virgam hominis, et ipsam in morcellas incidas et in pulverem opii, nucis scialte et modici azerne involvas. Et postea in vase plumbeo ponas ad putrescendum; et caveas ab eodem. Et cum a putredine extraxeris, invenies eum liquefactum et quasi in oleum redactum. Si vero modicum ipsius olei cui volueris in potu dederis vel in cibo, omnes eius sensus, motus et spiritus claudicabunt et stupefient, nec aliquod sui corporis membrum poterit exercere. Indi vero cum predicto oleo aliquibus aliis admixtis multa mirabilia faciebant, dando in cibo, et ostendebant ea que volebant et que extra consuetudinem erant. Et cui volebant dabant in cibo, et per hoc demonstrabant quod volebant ex rebus numquam repertis, et eciam hominem reddebant cuiuscumque figure vel forme volebant.

Ut appareas in forma cuius volueris animalis. Recipe sperma hominis in suis membris completi, et cum spermate cuius volueris animalis in ovo ponas (id est in testa) in unum mixtum. Postea ipsum ovum claudas bene ac ad putrescendum in stercore calido per triduum reponas. Quibus finitis, removeas ab eodem, et in ovo reperies similitudinem animalis. Extrahas ab eodem et in oleo de sisamo appone, in quo per tres dies dimitte. Hoc animal in hoc oleo istis tribus diebus potabit; et dum vivit, in eodem oleo teratur. Si vero lumen accenderis cum eodem, cuiuscumque faciem inunxeris ex ipso, apparebit in forma illius animalis cuius sperma superius accepisti. Et hoc penes Indos secretum nobile reputabatur, quod nemini preter eisdem disposito revelabant.

Ut homo ex civitate exire non possit. Recipe sperma hominis et modicum sanguinis ipsius, que cum duplo mellis decoquantur quousque totum sperma ingrediatur ipsum mel. Deinde hoc mel decoquas usque ad nigredinem ipsius bene. Ex isto vero cui volueris in cibo dabis – videlicet qui per longa itinera se transferre intendit. Qui comederit non poterit illa die eam civitatem exire; imo in eadem quasi raptus et insensatus permanebit.

Mirabilia magna nigromancie. Indi autem aliam compositionem faciebant, cum qua opera magna nigromancie operabantur, cuius talis est compositio. Accipiebant enim porcā unam, et ipsam in quadam domo vacua recludebant. Et in uno capite domus stagnis ferreis optime aptabant taliter ne ex ipsa domo exire valeret. Et in ipsa domo iuxta ipsam porcā porcū masculum ponebant aptatum quemadmodum et ipsa; et sic aptati per 24 dies ibidem permanebant. Et hoc opus incipiebant facere cum Sol ingrediebatur primum gradum Capricorni. Et dabant micam panis tritici in lacte mollitam omni die eisdem ad comedendum, quantum comedere volebant. In fine vero harum 24 dierum porca cum maximo appetitu cum masculo coeundi et magno motu movebatur in tantum quod ex suo spermate quantitatem magnam proiciebat ad similitudinem peciarum sanguinis coagulati. Qui Indi artificia magna faciebant quibus predictum sperma accipiebant; et ipsum in vase plumbeo reponebant, et os optime obturabant, et in fimo per 24 dies ad putrefaciendum ponebant. In fine vero earundem dierum removebant ab ipso, et in frigidato vas predictum aperiebant inveniebantque ibidem animal quod movebatur. Et ipsum cibabant per tres dies cum nucibus et lacte ut superius diximus in porca. In fine autem trium dierum extinguebant ipsum in oleo, cum quo mirabilia nigromancie magna operabantur, ipsum dando in cibo et eciam lumen accendendo et vultus et corpora cum eodem unguendo, et alia multa mirabilia que proximitatis causa non sunt narratione digna.

Rogamus autem operatorem in predictis quod hoc pro maximo secreto habeat et non nisi homini in predictis experto revelet.

Capitulum duodecimum. De regulis in hac sciencia necessariis.

Illum autem qui in hac sciencia se intromittere intendit scire oportet quod propter opera et experimenta que fiunt in hoc mundo scienciarum profunditates et secreta sciuntur, et ex operibus et experimentis solvuntur dubia. Hinc est enim quod, cum alicui id quod querit perficitur, tunc eius dubietas solvitur. Tu vero in omnibus et de omnibus que te hactenus docuimus sis avarus, et sis fidelis in ipsis operacionibus, modis sapientum et maneriis antiquorum in hac sciencia operancium continue observatis. A comestionibus vero et delectacionibus illicitis quantum poteris sis remotus; imo ad tuam animam salvandam et in amore Dei quantum poteris assidue cogitabis quoniam voluntas et amor attrahit spiritum et inclinatur ad effectus spirituales consequendos, et omnes eius proprietates erga rem desideratam perficit et ostendit. Et si hec declinacio cum Deo fuerit, qui est principium et finis omnium rerum et dominus dominorum perpetuus et eternus, tunc ille amor erit durabilis et completus. Et si talis amor et voluntas in rebus corporeis affigitur, talis amor instabilis est et corruptibilis et finalis amor. Et voluntas in partes dividitur quia ille amor qui cum salute est et honore est amor fixus in Deo sublimi et alto quemadmodum est amor patrum, magistrorum sanctorumque virorum; est enim amor pietatis et amor filiorum. Et est amor proficui et adiutorii, et hic amor est amor hominum qui utilitatis gracia ad invicem diliguntur. Voluntas vero quando est multum acuta amor appellatur quemadmodum diximus supra dum in aliis preter Deum ponimus ipsam que amor corruptibilis debet merito nuncupari. Et nos preces nostras fundimus ipsi Deo ut ipse cor et spiritum tuum taliter illustret ut eius sciencie profunde tibi patefiant; et ab insidiis populi et nocivorum hominum te protegat et defendat ut ex tuis secretis nemini inscienti reveles quoniam efficerentur hominum sanctorum et prophetarum interfectores.

Proprietates vero et exempla proposita et dicta in libris sciencie huius prophetarum, si tu ea ad opus tentativo modo deducere laborares viderentur de genere trufancium nec ad effectum per ipsum promissum deducere posses in eternum. Sed si ea intelligeres quemadmodum dixerunt (videlicet cum vera inclinacione et stabili credencia et causas eorum effectuum cognoscendo), tunc videbuntur nobiles, alti et preciosi, et a bestialibus hominibus sunt natura remoti. Et si debite nostris patribus qui vitam et esse nobis dederunt debemus merito obedire, quanto magis tenemur prophetis et sanctis qui nobis exempla dedere ut regulas quibus nostre anime salvantur et ad vitam perpetuam deducantur. Et postquam in nostris corporibus cause perfectionis corporum elementorum, virtus per periodum durabilis invenitur, que corpora in suis figuris et effectibus custodit et gubernat et ab ipsis temporibus propriis non separatur. Et hoc est illud quod a prophetis natura nuncupatur. Naturales enim aiunt quod huiusmodi virtus est causa gubernacionis corporum per tempus terminatum in quocumque secundum naturalem duracionem uniuscuiusque. Et huiusmodi per ipsos vocatur natura, que natura est primum principium naturale omnium animalium et vegetabilium. Exemplum ad idem. Quemadmodum lapis proiectus naturaliter deorsum descendit, et hoc non in quantum corpus quia alia corpora in quantum corpora <non>

assimilarentur eidem vel e contrario eius effectus faciunt per oppositum, ut ignis qui naturaliter ascendit multo magis est corpus; et hic intellectus est principium istius maneriei motus, et hic natura nominatur. Preterea ipsum motum naturam dicunt, et iterum dicunt naturam elementi esse formam et figuram naturalem. Phisici vero huiusmodi nomen, naturam, appellant complexionem et per calorem naturalem et per formas et figuras corporum et per motus et spiritum; et secundum quodlibet eorum intencio dicitur. Secundum vero veritatem hoc nomen, natura, est nomen equivocum quia dicitur pro omni corpore et pro omnibus eiusdem propriis et pro humoribus, elementis celi et virtute quam Deus posuit que est causa generacionis et corrupcionis, motus et quietudinis in omnibus que moventur et quietantur. Qua de causa primi sapientes sic diffiniverunt eam quod est terminus et principium motus et quietudinis. Philosophi vero dixerunt quod est forma corporalis que non potest esse in corporibus nisi mediante celo inter ipsam et spiritum. Plato autem ipsam sic diffinivit: natura est corpus completum ad faciendum encia. Galienus autem: natura est calor naturalis iuvans corpora et ab eisdem removens corrupciones et detrimenta in quantum potest; et quando eius virtus concurrat cum ea, aptat gubernaciones, conductus et alia. Abenteclis ait: est enim corpus simplex unam formam et unam figuram habens, et in ea est potencia [et] vite, sed ipsamet est forma vite sicut in pueris apparet quibus natura certa magisteria ad vitam tuendam concedit ut lactando, dormiendo, etc.; et cum docentur in artificialibus, tunc fiunt operum magistri. Predicta autem non recitavi nisi ad tui intellectus luminis clarificacionem, quoniam in omnibus instructum et doctum in incepcionibus et cogitacionibus omnium encium manerierum que reperiuntur in universo esse affecto. Et sic habebis intellectum adeptum per coniunctionem intellectus possibilis cum agente. Et sic finitur.

Explicit liber tercius Picatricis; sequitur liber quartus.

BOOK IV

Incipit liber quartus, in quo ostenditur de proprietatibus spirituum, et de his que necessaria sunt in ista arte, et qualiter cum ymaginibus et suffumigacionibus et aliis adiuvantur.

Capitulum primum. A quo virtus et fortitudo spiritus procedunt, et quid sit proprietas sensus et intellectus et quid proprietas spiritus, quid proprietas corporis, quid proprietas anime, necnon et differentia inter ea.

Capitulum secundum. Qualiter vigor spiritus Lune ad ista inferiora attrahitur, et ex quibus suffumigaciones septem planetarum fieri debeant.

Capitulum tertium. In quo loquitur quid Caldei tenent ex profunditate et secretis huius sciencie, et quid de ea locuti fuerunt.

Capitulum quartum. In quo loquitur de ymaginibus et racionibus que nimis hanc adiuvant scienciam.

Capitulum quintum. Ostendit que sunt decem sciencie huic arti necessarie, et qualiter ex eis hec sciencia adiuvatur, et que sit radix sciencie nigromancie.

Capitulum sextum. Ostendit qualiter stellarum suffumigaciones fieri debeant, et demonstrat quandam compositionem huic sciencie

necessariam.

Capitulum septimum. De his que in arte nigromancie inventa sunt in libro De agricultura Caldea, quem Albubaer Abenuaxie de lingua Caldeorum transtulit in Arabicum.

Capitulum octavum. De virtutibus aliquarum rerum que ex sua propria faciunt natura.

Capitulum nonum. De ymaginibus que virtutes faciunt mirabiles; et fuere invente in libro qui fuit inventus in ecclesia de Cordib et in libro regine Folopedre; et loquitur de aliquibus castigamentis necessariis operibus ymaginum.

Capitulum primum. A quo virtus et fortitudo spiritus procedunt, et quid sit proprietas sensus et intellectus et quid proprietas spiritus, quid proprietas corporis, quid proprietas anime, necnon et differentia inter ea.

Sapientes vero antiqui in hoc sunt concordati, quod Deus quinque res disposuit et ordinavit per gradus, quarum nobiliorem in summo gradu collocavit – videlicet materiam primam et formam primam, que est tamquam prima minera omnium; secundo sensus sive intellectus, tercio spiritus, quarto natura celorum, quinto elementa et elementata. Primum autem posuit in sui celi superiori circulo ubi nullus alius deus nullusque alius dominus preter ipsum permanet, et taliter eum ordinavit ut aliis lumen emanaret; scienciam etenim et nobilitatem virtutis aliis convenientes virtus illa eis vi tribuit et manat. Sensum autem et intellectum posuit in primo circulo descendente ab eodem, qui similiter ab eodem lumine descendit; sciencia etenim et nobilitas virtutis sibi convenientes ei vi ab illo emanantur. Deinde posuit infra circulum spiritum, qui similiter ab eodem lumine primo emanatur; scienciam et nobilitatem isti convenientes (videlicet que ab illomet et ab eius superioribus procedunt) et isti tribuit. Deinde posuit naturam in ordine sub spiritu, que similiter a primo procedit; et nobilitas conveniens eidem vi in ista generatur ab eodem. Patet igitur quod forma prima est nobilior et per omnia subtilior sensu, et sensus spiritu, et spiritus natura, et natura elementis. Et unumquodque predictorum posuit supra alium in debita quantitate, remissa quasi dicat quod prima est absoluta, in se pura et ab omni grossicie depurata, tamen secunda habet in se plus ea aliquantulum grossicie sive materie et minus quam tercia, et sic gradatim usque ad elementa sive elementata descendendo. Et hoc est ut ipsa prima essencia magis in semetipsa relucescat, et alie sua puritate indigentes tamquam ad debitum finem recurrant prout species faciunt, scilicet per genera subalterna ad genus generalissimum recurrendo cum unumquodque ab eius superioribus nobilitatem accipiat et vim inferioribus tribuit. Postmodum celos creavit et formas et posuit celum spiritus in medio quatuor celorum, quorum duo super eum existentes luminosi sunt et clari, qui sunt essencia prima et intellectus, duoque inferiores sunt tenebrosi et obscuri, qui sunt natura et elementa. Ipsum autem celum spiritus tamquam genus subalternum scienciam et nobilitatem sibi convenientes a superioribus recipit et inferioribus tribuit. Demum secundum hoc est spiritus qui duos superiores celos vincit et illuminat, et ab eis lumen, scienciam et nobilitatem suscipit. Ipse enim spiritus maxime formatus est quoniam ad alta tendit, et residet in loco ubi factus est et creatus et unde fortunam, bonitatem et lumen accipit; hic autem locus paradisis nuncupatur.

Spiritus vero duos inferiores vincens est spiritus tenebrosus, miser et infortunatus, et ad infimum descendit, et residet in loco ubi captus est et ubi nullam requiem habere poterit; hic vero locus appellatur infernus. Iterum ipse spiritus animalium et vegetabilium atque dura corpora creavit. Ista enim sensum et scienciam ab illa forma prima non recipiunt; et illa eis talia minime tribuit cum eisdem conveniencia non fuerint. Ista autem duos inferiores vincunt celos (videlicet naturam et elementa) et in terra resident, ubi stant, permanent et creata sunt. Omnia vero supradicta vi et virtute procedunt divina.

Exemplum. Arbores enim in terra nascentes – earum principium est ipsarum radices, fines vero earundem sunt rami et folia et fructus nascentes ex eis. Radices autem ipsarum attrahunt earum virtutem vegetabilem ab humoribus terre, rami vero ab aere attrahunt. Et ideo cum in eis materia terrestris earum natura super aerem dominatur, earum radices longiores ramis fiunt; et e converso si aer predominatur ipsi terre, earum rami radicibus longiores efficiuntur. Idcirco ad roboracionem predictorum videmus ad sensum arbores et alia vegetabilia in terra nascencia radices longiores ramis habentes et e contra; et eciam sunt arbores quibus radices siccantur et non rami et e contra. Preterea idem videmus in avibus, que quanto terrestri nature magis appropinquantur, <tanto> graviore volatus efficiunt, et quanto plus aeris nature assimilantur, tanto leviores volatus perficiunt. Et idem in hominibus, qui quanto natura eorundem elementata subtilius et magis a grossicie depurata extiterit et eciam in cibus subtilioribus vescuntur, tanto subtiliores et magis spirituales et ad spiritualia intelligendum abiliores efficiuntur; et e contra accidit hominibus ex terrestribus et grossis elementis compositis et eciam cibariis grossis nutritis quod tales in subtilitates spirituum accedere minime possunt, sed ad grossa et corporea percipienda sunt naturaliter imbuti. Et ex hoc patet quod mala ex rebus corporeis, bona vero a spiritu procedunt.

Sed materia dividitur in duas partes, videlicet in spiritualem et corporalem. Spirituales vero est materia prima, que est mundus altus, et forma prima, que est elementum primum spirituale (videlicet sensus, anima, natura, elementum et omnia principia generis primi a materia depurati), et unitas prima, que indivisibilis permanet quemadmodum est unitas, punctus et similia, et ea que per tempora non dividuntur, ut instans principium linee quod est punctus. Materia vero corporalis est que ex elementis existit composita ut animalia, arbores et similia. Preterea materia est simplex et composita. Simplex est omnia que super celos sunt, composita vero sunt omnia sub celo existencia, et huiusmodi visu percipiuntur et experimento. Et dixit Bandaclis ☩sapiens quod omnis materia que per quinque sensus corporeos percipitur est materia corporalis puri compositi; et quando huiusmodi est, corrumpitur et alteratur tamquam locatum indigens loco. Et omnis materia que per quinque sensus corporeos percipi non potest materia simplex, pura, spiritualis, luminosa, durabilis et alta nuncupatur. Et omnis materia que ab aliquo quinque sensuum dignoscitur est media inter materiam simplicem et spiritualem et inter materiam compositam et corporalem. Et ideo corporalis corporibus attinetur et cum eis ingreditur per motum temporis et coloris, et spiritualis remanet cum lumine et spiritibus altis, et cum eisdem durat per infinita secula. Tu autem qui in hoc libro studere proponis considera quomodo tuam animam reducere possis ad gradus et cognitionem spirituum beatorum; quod quidem

facies si in omnibus tuis operibus partem spiritualem prosequi conaberis qua cognitione eris differens a brutis.

Sapientes autem in proprietatibus sensus et eius divisionibus sunt discordes. Hoc enim nomen – sensus vel intellectus – pro quatuor exprimitur ab eisdem si<n>gillatim. Quorum primum pro ratione nuncupatur qua homo ab aliis animalibus separatur dispositus ad recipiendum sciencias et industrias magistrorum secretas que indigent sensu et discrecione; et huius proprietas disponitur cum acquisitionibus scienciarum. Et ex hoc apparet quod est lumen divinum a Deo cordibus infusum, quo erit dispositus ad videndum et intelligendum encia prout sunt. Et hec est opinio unius partis sapientum loquencium in predictis. Et ideo dixit Sesudalis quod hoc nomen – homo – est equivocum, videlicet hominum intellectu vigencium et hominum intellectu carencium.

Secunda opinio. Sensus est in scienciis notis et apparentibus ad sensum, ut in pueris qui secreta nature minime percipere possunt, sed ea que a natura quasi naturaliter conceduntur apprehendunt, sicuti in numeris quibus dignoscunt duo plus uno esse et quod duo corpora non possunt esse simul in eodem loco, et unum corpus impossibile est in diversis partibus sub eodem tempore permanere. Et una pars sapientum de predictis loquencium – hanc opinionem negantes patere asserebant.

Tercia opinio. Sensus secundum aliam opinionem antiquorum sapientum consistit in his que per experienciam longinquam comprobantur. Tali cognitione vel sensu carentes, imbecilles, fatui, ceci et stulti debent merito appellari.

Quarta opinio. Sensus secundum alios consistit in cognitionibus naturalibus quibus cognoscuntur profunditates rerum eternalium, mundana corruptibilia vilipendendo. Et cum in aliquo homine predicta reperiuntur, talem sensatum appellamus eo quod naturam bestialem superat et vincit, et spiritualibus et eternis assimilatur. Et hec est proprietates qua homo ab aliis animalibus separatur. Idcirco duo priores sunt naturales et duo posteriores studiis et scienciis acquiruntur. Et ideo dixit sapiens: □Video quod sensus est bipartitus, naturalis scilicet et acquisitus. Acquisitus vero nullo modo haberi potest nisi mediante naturali, quemadmodum solaris lux modicum prodest oculo naturali deficiente.

Nunc ad aliam distinctionem sensus alciorem transeamus. Sapientes vero antiqui diviserunt sensum in sex partes, que quidem duobus comprehenduntur verbis – videlicet in sensu generali et sensu universali, ut diximus de spiritu naturali et universali; qui sic se habent, quod omnia in tres partes dividuntur – scilicet corpus, sensus naturales, spiritus intelligenciarum vel angelorum movencium celos. Quorum primum vilissimum reliquorum duorum obtinet locum, secundum nobiliorem omnium reputamus, tercium medium inter eos esse discernimus. Racio vero quare secundum nobiliorem dicimus est quod ab omnibus pendenciis materie extitit depuratus. Ipse autem intelligencie separate sive angeli moventes orbis sunt medii inter predicta quoniam movent celos ad quorum motus sensus agentes suis effectibus operantur. Sensus autem generalis est, ut supra diximus in divisionibus sensus, a forma et materia abstractus, quia cum dicimus homo in generali intelligitur racio hominis rationalis vel racio que competit omnibus hominibus, in qua ab omnibus aliis animalibus separatur. Et hunc sensum generalem appellaverunt.

Sed sensus universalis duobus verbis exprimitur, quorum unum est magis congruum verbo quia per ipsum intelligitur genus totius universi. Postea ratio que propter explanationem istius nominis intelligitur est genus proprietatum a materia et ab omnibus suis partibus remotarum que <non> naturaliter moventur et non secundum accidens. Cuius generis ultimus gradus est sensus agens, qui est deputatus spiritibus humanis et scientiis superioribus. Et hoc genus est principium in omnibus post primum principium; et principium primum principians omnia. Sed totum secundum secundam intencionem est nona sphaera, cuius raptu semel in die et nocte cum aliis sphaeris undique circumdat. Qua de causa ipsa, eius magnitudine et capacitate que alia omnia corpora continet, corpus universi appellatur. Postea sensus universi secundum hanc opinionem est substantia equali pondere omnibus suis partibus, a materia remota. Et ipse est movens, motum cupiens sibi assimilari. Et eius motus fuit tamquam principium omnium inventus. Et ideo legis conditor sic ait: primum a Deo creatum fuit sensus, qui aspiratione divina motum suscepit. Sed spiritus generalis multis diversitatibus est nominatus; et quelibet in responsione rei cuius existit nominata, et unaqueque ipsarum est spiritus suo corpori proprie deputatus. Et spiritus universi est sensus universi. Idcirco omnes substantie incorporee complete in corporibus celestibus moventibus redundant, et hoc propter quietudinem sensus. Proportio autem spiritus omnium ad sensus omnium sic se habet quemadmodum nostri spiritus ad sensum agentem. Et spiritus vel intellectus universi est principium circa invencionem corporum naturalium, et eius gradus in recepcione invencionis sequitur gradum sensus in omnibus; et eius invencio similatur eidem. Et predictae sunt regule que in sensu sunt inventae. Aristoteles ¶ait: sensus sensibilis spiritus ex sensibili est receptus. Et si quis quereret cuius maneriei spiritus intelligit, responsio quod spiritus rationalis lumine sensus discernit quando aliquid scire desiderat, et cum idem lumen recipit, gaudet eo et attingit intentum. Et huius lumen super omnia sensibilia procedit ut patet in dormicione ubi omnes spiritus sensibiles sunt stupefacti et remissi, in qua omni intellectu spiritus deputantur. Quod si aliquis obiceret: quis scit quod spiritus intelligit aliqua dormiendo? responsio quod ex eo remanet aliquid quemadmodum ex calore in igne quando extinguitur. Et propter sui unitatem cum corpore potest terminari contra unam partem sapientum.


Et dixit Empedocles quod sensus non potest terminari propter quod est substantia simplex, et substantia simplex nec genus nec differentiam habet quia non separatur. Et diffinicio non potest compleri nisi per genus et divisiones. Et iterum dixit: sensus dividitur in duo – videlicet in sensum generalem, qui omnia continet in virtute et non fatigatur (et ipse omnia in se ipso sua substantia, et est cum tempore qui non antecedit per instans solum); alius vero est sensus nobilis et electus, qui purificatur et condoletur, qui non nisi in humano corpore reperitur; et cum eius puritate depuratur et eius dolore condoletur. Et est lumen luminis generalis sensus.

Et anima est spiritus divine intelligencie, quam divina intelligencia creavit et absque aliquo medio posuit in corpore; et plantavit eam in istis corporibus que sunt secundum lumen Solis, quod est ex eo qui per radios ipsa corpora attingit. Et ipsa ordinantur in formis naturalibus secundum suos effectus; et per eum veniunt sensibilitates, estimaciones vel cogitaciones, ymaginaciones, quietudines, memoria et similia.

Et una pars sapientum antiquorum sic determinavit: natura est durabilis motus cum quo est perfectio sive complementum corporis agentis et in potencia viva.

Capitulum secundum. Qualiter vigor spiritus Lune ad ista inferiora attrahitur, et ex quibus suffumigationes septem planetarum fieri debeant.

Scias autem quod una pars sapientum Caldeorum et Egipciorum dixit quod Luna infundit et immittit influencias planetarum in hunc mundum compositum. Et ob hoc fecerunt opera, sacrificia et oraciones ipsi Lune in quocumque signorum ingressu. Et iam patefeci tibi opera aliarum gencium in eisdem; et quantum in hoc fuimus locuti fuit ex Arabico idiomate translatum.

Qualiter loqui potest cum spiritibus Lune, et primo cum fuerit in Ariete. Cum virtutem et potenciam Lune attrahere volueris dum in Ariete permanserit signo, in hora qua tota completa ascendit, quoniam tunc est melior et utilior tue petitioni, eademque hora coronabis te et ad locum viridem et aquosum venias planum prope fluvium vel aquam currentem. Et ducas tecum gallum scissam habentem cristam, quem decollabis cum osse aliquo, sed cum ferro nullo modo tangas eundem. Et volvas faciem tuam versus Lunam, quia hoc est apud eos secretum magnum valde. Et ponas ante te duo thuribula ferrea carbonibus accensis repleta, in quibus successive grana incensi proicias quousque fumus elevatur ab eisdem. Et tunc erigas te in medio thuribulorum, versus Lunam ipsam aspiciendo, et dicas: Tu, Luna, luminosa, honorata, pulchra, que tuo lumine tenebras frangis et in tuo oriente elevas et complas omnia orizonta tuo lumine et pulchritudine. Ego venio ad te humiliter, mercedem petendo, de tali re humiliter rogando. Hic autem tuam petas petitionem. Postea per decem passus progrediaris ante, semper ipsam Lunam aspiciendo et predicta verba iterum dicendo. Et unum ex thuribulis ante te ponas, in quo 3 iiii storacis proicias. Deinde tuum sacrificium comburas, et has infrascriptas figuras in folio de canabeto cum cinere sacrificii et modico croci figurabis: . Hoc vero folium in igne concremabis. Et statim cum fumus elevatur, ex opposito videbis formam hominis formosi et optime induti iuxta thuribulum stantem, cui tuam petitionem petas; et implebitur ab eodem. Cum autem post predicta volueris aliquid ab eodem petere, predictum opus reiterabis, et forma predicta tibi apparebit tuis interrogacionibus responsura.

Cum Luna fuerit in Tauro. Cum autem Luna fuerit in Tauro et virtutem seu potenciam attrahere volueris, primitus scias quod Luna diversos habet effectus et diversas potencias in unoquoque signo. Cum vero eius opus volueris facere, venias ad talem locum qualem in alio signo fuimus locuti, et tecum gallum unum et unum thuribulum cum igne deferas. Et te pannis lineis cum alayeron vel cum corticibus malorum granatorum tinctis induas, et tuam manicam super caput tuum. Et habeas unum cacabum aqua plenum, que cum lignis nucum sit cocta. Et accipe aquam cum tua manu dextra, et eam super sinistram proice; et sic tuas manus et tua brachia tuamque faciem lavabis. Et advertas ne desuper caput tuum manica elevetur. Postea cum dicta aqua tuos lavabis pedes. Et tunc tecum unam budam seu storam novam in qua pes hominis numquam fuit positus habeas, et dicta buda tota panno lineo viridi colore et rubeo picto sit involuta. Et a loco in quo tunc fueris vel a veste super


dictam budam salias et proicias te pedibus super dictam budam, et dicas: ribharim ribharim caypharim caypharim dyaforim dyaforim. Que nomina vicesies dicas. Postea inde te elevabis, et ad cacabum aque predictae iterum venies tuasque manus lavabis. Et tunc tuum sacrificium decollabis ipsaque predicta verba dicendo assabis. Et continue dum hoc opus feceris, cum incenso et mastice suffumigabis. Tunc autem figuram hominis videbis, cui tuam petitionem petas; et id quod volueris adimplebitur. Quidam vero qui se in hoc opere intromittebat mihi retulit quod quendam habuerat amicum qui totum quod habuerat perdiderat et ad magnam devenerat paupertatem. Et dixit quod ascendens dominus erat Saturnus; et idem Saturnus fuerat infortunii sui et paupertatis auctor. Et ei ostendit Lune orationem ipsa in Tauro existente. Totumque eius fecit opus; et sibi predictam figuram hominis demonstravit, cui suam petivit petitionem et sibi suam paupertatem narravit. Et ei visum est quod ille homo ipsum per manum acciperet, et eum duceret ad quoddam fossatum, et diceret quod ibi foderet. Et sic fecit, et ibidem thesaurum invenit ex quo dives factus est.

Cum Luna fuerit in Geminis. Cum Luna fuerit in Geminis et eius virtutem et potenciam attrahere volueris, vadas ad locum altum ubi sunt venti. Et tecum gallum deferas et suffumigationem antedictam et canonem latonis crocei tres cubitos in longitudine habens et thuribulum latonis similiter, in quo ignem accendas per canonem sufflando; et in ignem mediam libram storacis ponas. Et unum ex capitibus canonis super ignem ponas (scilicet ubi fumus elevatur) et aliud caput versus Lunam situabis taliter ut fumus versus Lunam directe elevetur. Postea proicias super ignem incensi 3 β et modicum ambre, et cum canone facias fumum ut diximus. Postea in directo thuribuli ignis sedebis et ipsum canonem in tuis manibus accipies, et cum eo circum facies, et de te ipso quasi centrum circuli ipsius facies. Postea accipies septem presas straminis fabarum, et ponas in septem locis in circumferencia prefati circuli. Et ex sacrificio tuo septem partes ordinabis, et unamquamque parcium super unam cuiuslibet predictarum septem parcium straminis superius dicti pones. Hoc facto, ignem cum canone accendas in stramine predicto quousque sacrificium aduratur. Subsequenter te in medio circuli erigas, et dicas: Tu, Luna, refulgens et luminosa, in tuo regno honorata et in loco et gradu tue exaltationis collocata, quia hunc mundum tua potencia et spiritu gubernas – te rogo et tuis spiritualibus potenciis peto ut mihi tale quid facias. Tunc tuam petitionem exponas; supplicando enim et orando te ad terram prosternes, et dicas: abrutim abrutim gebrutim gebrutim vicesies. Deinde caput tuum elevabis a terra, et videbis formam superius dictam, cui tuam petitionem narrabis; et implebitur cum effectu.

Cum Luna fuerit in Cancro. Cum Luna quidem in Cancro fuerit et eius virtutem et potenciam attrahere volueris, ascendas locum altum quemadmodum est locus super amplum campum elevatus. Postea respice a dextris et a sinistris, ante et retro auriculando, in tua vero manu turturem habens, quam decollabis, et ex eius ala dextra quatuor pennas accipias et ex sinistra totidem; eius vero rostrum amputabis, quod totum combures. Deinde predictas pennas accipies; eisdem 3 ii coloquintide et storacis 3 iiii adiungas, et omnia in uno panno reponas. Postea recipe behem albi 3 ii, que cum cinere sacrifici sunt aptande et cum succo aristologie incorporande, ex quo facias formam hominis supra leonem equitantis. Hoc facto, eleva te et ymaginem ante te; et ignem accendas, in quo tuam suffumigationem ponas,

et dicas: Tu, Luna, que es lumine plena, benignitate et pulchritudine repleta et equalis in tui altitudine, tibi preces meas fundo et petitionem meam transmitto. Hoc facto, circulum facias in terra, in cuius centro ponas ymaginem quam fecisti postquam in ea scripseris nomen illius quem declinare volueris. Deinde revertaris ad dicendum ipsa verba met, et ad terram te prostrabis. Postea eleva te, et accipe 3 vi aceti, et in ipso ipsam ymaginem totam dissolvas. Et postea muscati granum unum, ambre quartam partem 3, gallie 3 iiii, storacis $\text{D}\beta$ eidem adiungas, et ad ignem ponas quousque bene bulliant. Et ex eo facias trociscos unius 3 ponderis, et suffumiga cum eis Lunam per septem noctes (videlicet unum trociscum in qualibet nocte); et alii reserventur. Sapientes vero qui in hoc opere laboraverunt dixerunt quod, si ex hac suffumigacione suffumigaveris quemcumque volueris et eius odoratum suscipiet, sive vir fuerit sive mulier, nullo modo poterit esse tuorum preceptorum transgressor. Et multi hanc scienciam operantes per itinera proficiscentes, in quibus erant leones, ursi, colubre, scorpiones et alia animalia pessima, fuere ab eorum nocumentis experientia liberati, predicta suffumigacione operando.

Cum Luna fuerit in Leone. Cum autem Luna fuerit in Leone et eius virtutem et potenciam attrahere volueris, vadas ad locum non habitatum, et apporta tecum septem thuribula, que in circulo super eandem terram ordinate situabis distancia per cubitum unum ab invicem. Tu vero semper habeas faciem tuam versus Lunam. Inter thuribulum et thuribulum ponas ovum

anseris, in quibus omnibus he figure scribantur: . Postea accipe acum latonis crocei grossam longitudinis palmarum trium, quam in tua dextra tenebis; in tuo vero capite semper habeas pannum croceum, laneum ad modum Arabum, et camisiam laneam, croceam induas. Postea decollabis in medio circuli thuribulorum gallum cristam scissam habentem quemadmodum in signo Arietis diximus. Deinde pecias ipsius galli super thuribula combures. Postea accipe cum capite acus ex suo sanguine, et super omnia thuribula et ova cum prefata acu stillabis. Hoc facto, per duo thuribula a thuribulo ante te posito numerando te elongabis. Et accipe ovum secundum thuribulum consequens, quod ante te ponas; et in ipso cum prefata acu percuce continue, cum incenso et sandalo croceo suffumigando, hendeb hendeb quindecies dicendo. Et tunc veniet forma hominis superius tacta, cui tuam petas petitionem; et statim implebitur cum effectum.

Cum Luna fuerit in Virgine. Cum vero Luna fuerit in Virgine et eius virtutem et potenciam volueris attrahere, accipe 30 turdos, et decolla ipsos, et decoque ipsos quousque sint bene cocti. Postea extrahas quando eorum plume cadent ab eis, quos mediocriter salabis et usui reserves. Et hoc facies per 30 dies antequam Luna Virginem ingrediatur. Et postea per singulos dies comedes unum ex eis postquam fuerit suffumigatum cum 4 dragmis croci; et postquam ipsum susceperis in cibo, nihil aliud comedas quousque transiverint 6 hore. Hoc autem omni die facies usque ad 30 diem, in quibus omnibus a vino penitus abstinebis; in quarum fine in aqua fontis orientalis te abluas, et ex ipsa aqua fontis predicta in ollam libram mediam ponas, que olla fiat dum Sol quartum perambulat gradum et Luna in 7 Aquarii commorante. Os vero ipsius olle cum cera que numquam fuerit ab igne tacta optime obturabis. Hoc facto, ad locum amplum te transferas, et ante te thuribulum cum incenso et croco ana quartam partem 3 ponas; et dicas: Tu, Luna, que es formosa et in aspectu posita et in dando copiosa, magna et alta; tuoque lumine tenebre

lucescunt et spiritus evadunt, et tua pulchritudine corda letantur. Te rogo et in te tali negotio confido. Postea accipe in tua manu sinistra ollam predictam, et dicas: haphot haphot; et tua dextra terram fodias, et semper dictum nomen fodiendo continue dicas. Et hoc quousque foveam ad profunditatem cubiti feceris, in qua ollam reponas, cuius os versus meridiem in fovea situabis. Deinde foveam terra replebis quousque in eorum superficiebus sint equales. Et dum predicta feceris nomen predictum continue dices. Preterea figuram quam volueris cum acu auri in lamina plumbea figurabis, et in summitate fovee predictae sepelies. Cum autem predicta feceris, statim tua adimplebitur peticio.

Cum Luna fuerit in Libra. Cum Luna fuerit in Libra et eius virtutem et potenciam attrahere volueris, precingas te corrigia facta ex iuncis nascentibus in aqua, et venias ad littus fluvii orientalis, et tuum sacrificium comburas, per ripam fluminis versus cursum aque currendo, Lunam continue aspiciendo, et in tua manu balistam eream tenendo que facta sit dum Venus fuerit in Tauro retrograda, Mercurio in Ariete commorante. Et predicta quinquies facies, eundo et redeundo super littus fluminis. Hoc facto, percucies aquam fluminis cum balista, videlicet cum sacrificium fuerit combustum, et dicas: Tu, Luna, alta et honorata! Tibi hoc sacrificium fundo et transmitto, et ad tuam gratiam impetrandam feci illud, quia tu es potens mihi petitionem meam concedendi et meum desiderium implendi. Postea ex lignis oleastri ignem accendas, et in ipsum proicias storacem, et in circuitu ignis contendendo curras, in tua velocitate quantum poteris perseverando. Postea parabis te in loco in quo ignem fecisti, et facies ibi in terra ex tuis pedibus lineam usque ad ignem, in qua hoc nomen scribe: ganeytania ganeytania. Postea accipe terram in qua hoc nomen extitit scriptum, et cum terra et aqua immobili misceatur; ex quo mixto facias duas ymagine, unam in tua forma et alteram in forma alterius cuiuscumque volueris: Tamen ymagine sint se invicem amplexantes, videlicet si opus tuum fuerit ad amorem; si vero fuerit ad aliud ordinatum, facias ex eadem manerie. Tamen opus predictae ymaginis sive predictarum ymaginum fiat in hora Lune cicius quam fieri poterit, et id quod queris adimplebitur.

Cum Luna fuerit in Scorpione. Cum autem Luna fuerit in Scorpione et eius virtutem et potenciam attrahere volueris, surgas dum Luna fuerit in 13 gradu Scorpionis, et vadas ad locum in quo sunt plures arbores spisse; et multarum aquarum fuerit. Et facias figuram quadratam in terra, et ipsam cooperias foliis nucum et foliis malorum citoniorum et de penolis; subriga totum cum aqua rosacea. Deinde ponas ante te novem thuribula argentea, et in quolibet ipsorum ponas lignum aloes, storacem et incensum quantum poteris. Postea pannis albissimis in quibus sit nihil mixti induas te. Hoc facto, ponas ante te duo thuribula terrea aqua plena; et accipe urceum terreum parvum, cum quo aquam unius thuribuli in aliud versabis, ex qua aqua super tuas costas cum eo proicias. Et facias tuum sacrificium ex animalibus eidem pertinentibus. Quibus expletis, te in pedibus levabis, et te quater ad terram proicias; et in qualibet prostratione dicas: seraphie seraphie. Et residebis. Et proice in capite ignis lignum aloes, incensum; et storacem ponas in quocumque thuribulorum 9. Deinde alias quater te ut prius prosternes. Et tunc veniet tibi homo in forma decenti et completa, cui quicquid volueris petas; et implebitur optatum. Cum Luna fuerit in Sagittario. Cum vero Luna in Sagittario fuerit et volueris eius virtutem et potenciam attrahere (hoc enim opus sapientes magni

valde forte et completum opus reputabant, et in pluribus hoc opus Sagittarii ad thesauros inveniendos exercebant) – et dum ad predicta transferre volueris, hoc opus facias dum Mercurius fuerit in quarto gradu Cancri. Et tunc fundas decem libras latonis, ex quibus quinque ymagine in forma draconum facies, que fiant dum Mercurius in gradibus eiusdem signi morabitur. Et cum complete fuerint ymagine, ad fluvium clarum, fluentem pergas, et divertas ab ipso flumine ex ipsa aqua per quinque meatus quos facies parvos, qui in suo tramite quilibet singillatim decurrat. Et in unoquoque illorum meatum ponas unam ex quinque ymaginibus in forma draconum superius fabricatis taliter ut aqua per eorum caudas ingrediatur, et per ipsorum ora egrediatur. Deinde accipe quinque odros et unusquisque eorum ad os cuiuslibet draconis taliter aptetur ut aqua eosdem odros ingrediatur, quos ibidem per horam dimitte. Deinde ab oribus draconum odri auferantur, et aquam ab ipsis draconibus per terram currere dimittas per horam aliam subsequenter. Iterum reducas dictos odros quemlibet ad locum pristinum (scilicet, unumquemque ad suam ymaginem quemadmodum erant prius situati), et in eosdem per aliam horam aqua per ora draconum emanans ingredi permittatur. In fine vero ipsius hore auferantur ut prius; et eundem ordinem servando procedes usque ad replecionem eorundem. Qui cum repleti fuerint, cum ipsis a flumine per 20 palmarum spacium retrocedas; quo termino perambulato, ipsi odri in terra ibidem situentur. Et quilibet eorum acu perforetur; et in circuitu ipsorum foveam fabricabis in qua aqua exiens ab ipsis odris ingrediatur; et iuxta cuiuslibet eorum unum ex draconibus predictis ponatur. Hoc enim sic peracto, surgas et currendo venias ad fluminis littus, Lunam continue aspiciendo; et in tuo ore accipe ex aqua fluminis quantum oris capacitas sustinebit. Et cum ea ad locum dictorum odrorum currendo revertaris, quam aquam ore super odros et dracones aspergas. Circa vero quemlibet draconem thuribulum argenteum carbonibus accensis repletum situabis, in quibus ambra et lignum aloes proiciantur, nec eorundem fumus extinguatur dum aqua emanabitur ab eisdem odris. Que cum tota fuerit egressa, accipe dracones, et in ipsis odris reponantur, et in fovea superius tacta sepeliantur, et in terra cooperiantur. Quibus expeditis, erigas te super locum, et tuum sacrificium in directo 15 arborum decollabis; et cuiuslibet ipsarum arborum eleva caput tuum, et in qualibet erectione dicas: harmum harmum. Et hec verba cuiuslibet arbori quinquies dicas; et tunc tua peticio taliter implebitur quod statim tibi homo formosi aspectus et bene dispositus apparebit, qui te ad locum quem ex quatuor mundi partibus affectabis deducet.

Dico enim tibi veraciter quod habebam amicum quendam qui hoc opus fecit ut supra; et dum ipsum complevit, eidem apparuit homo qui de sua petitione interrogavit. Qui respondit quod sua peticio erat ista, ut daret sibi ymaginem ad thesauros absconditos inveniendos. Visumque fuit ei quod ille homo ceperat eum per manum, et ad locum quendam duxit, in quo ymaginem elephantis eam tradidit eidem, que inter eius manus et pedes clavem ferream tenebat. Apparuitque eidem ut iste diceret: accipe elephantem, et vadas quocumque te duxerit secum; et in quo loco clavis ex ipsius pedibus cadet, in eodem loco thesaurum esse dinoscas. Et accepit manibus elephantem; et progrediens cum eodem quantum mensura quatuor cubitorum caperet, cecidit clavis ex manibus eiusdem elephantis. Statimque stetit, et foveam ibidem fecit, in qua illico scalas reperit. Et ipsas descendendo

domum magnam vasis aureis et argenteis necnon et lapidibus preciosis repletam invenit; accepitque de eis quantum potuit et secum elephantem reduxit, thesauros huiusmodi secum portando.

Cum Luna fuerit in Capricorno. Cum Luna fuerit in Capricorno et eius virtutem et potenciam attrahere volueris – quando enim Sol extiterit in signo Cancri, ingrediaris domum que nonnisi duorum hominum tantummodo sit capacitatis, ipsamque per septem dies ramis redolentibus cooperies (videlicet quod qualibet die ex recentibus ramis cooperturam renovabis). Et in unoquoque istorum 7 dierum domum predictam cum ligno aloes et incenso suffumigabis. In fine vero predictorum septem dierum ipsam domum ingrediaris pannis rubeis pulcherrimis indutus, aspiciesque ut ipsa domus sit cum una tabula cooperta vel cum aliquo alio; et quandocumque volueris, ipsam discooperire valeas, et dicas: heyerim heyerim falsari falsari tifrat tifrat. Postea domum egrediaris, et circumeundo eam septuagesies pergas. Postea vero predictam domum suffumiga cum 3 ii ligni aloes in thuribulo argenteo per hore unius spacium. Deinde exeas extra, et iterato prelibatam domum ut prius septuagesies circuibus. His vero sic peractis, tuum sacrificium ex gallo quem sepe diximus facias, et postea iterum ingrediaris domum. Ibique hominem invenies sedentem cui ter dicas: Coniuro te per Lunam pulchram et luminosam, ornatam et honoratam, ut tu mihi loquaris. Et cum ipse loquetur tibi eique quod volueris petas, [et] complebitur cum effectum.

Cuncta vero que ex operibus istius capituli fiunt pro maiori parte in amore acquirendo fieri iubentur. Quidam vero ex intimis meis mihi retulit quod ipse quandam habuerat ancillam quam vendiderat. Et post vendicionem eius ipse in amore ipsius exarsit, rogavitque illum cui eam vendiderat ut ipsam sibi redderet; quam restitutionem facere denegavit. Videns autem quod tali modo ipsam habere non poterat, predictum opus fecit ut supra; statimque qui eam tenebat ipsam abhorruit. Roganti vero misit ut ipsam emeret secundum libitum ab eodem precio constituto. Videns autem quod ei miserat modico precio recuperavit eam. Radix autem huius operis et aliorum istius maneriei existencium est ut operator sit bonorum operum et effectuum naturaliter consecutor et a malis operibus remotus; item sit mundus et limpidus, ab omni succiditate et tantum quantum poterit secretus.


Nunc autem recitare proposui id quod nostro tempore accidit cuidam volenti attrahere virtutem Lune, qui hoc opus necessitate deductus confecit et fuit in quadam nocte operatus a vero tramite ipsius operacionis totaliter remotus. Et dum in una nocte actualiter operabatur, sibi apparuit homo cum una re in manu, quam in eius ore posuit; et statim clausit os, nec apparebat ipsum os umquam habuisse. Et sic per 40 horas timore maximo repletus permansit, in quarum fine fuit totaliter extinctus.

Cum Luna fuerit in Aquario. Cum autem Luna fuerit in Aquario et eius virtutem et potenciam attrahere volueris – primitus enim scire debes quod omnes antiqui sapientes in hoc sunt concordati, scilicet quod regule istorum operum ipsis operibus utiliores reperiuntur. Et ideo regule et opera insimul iuncta efficacissimos habent effectus, et ad finem pervenitur optatum. Cum vero regule operibus non coniunguntur, spiritus et corporis maximum generatur periculum, et qui opera execucionem tradere nesciunt accidunt pericula et expavescenda maxima, quod quidem terribile esset narrandum. Hoc autem docendo et castigando tibi dico; nam nullus in hoc opere se intromittere sit ausus nisi qui bone memorie boneque qualitatis fuerit.

Cum autem Luna in isto signo existente operari volueris, accipe tria capita anserum masculorum, que in vino veteri quamplurimum annorum ad ignem ponas quousque fuerint optime cocta, et postea ipsa in mortario ferreo vel plumbeo bene pista quousque in unam massam omnia sint redacta; hoc cum Luna fuerit in Cancro fieri iubetur. Postea recipe canelle ℞, sandali 3 ii, storacis sicci ℞, incensi 3 iiii et parum draganti. Omnia vero ista cum dicto vino in quo supra cocta sunt capita simul misce, et ex eis 40 trociscos confice, quos in sartagine ferrea super ignem ponas usque ad eorum desiccacionem. Cum autem feceris supradicta in nocte, vadas ad campum dum Luna fuerit in Aquario, ipsaque completa lumine existente. Et ante te ponas 15 thuribula, quorum partim ex eis ex latone partimque ex argento sint constructa; et meliora reputantur si fuerint aurea ipsisque carbonibus accensis existentibus plenis. Et in quolibet ipsorum proice ex dictis trociscis, et cum gallo supradicto facias tuum sacrificium. Et dum elevabitur fumus, homo quidam tibi apparebit, qui nunc se manifestabit tibi, nunc vero se abscondet; et hoc sepe et sepiissime faciet. Tunc autem accipe tres ex dictis trociscis, et eos in ignem proice; et dicas: hantaraceret hantaraceret. Hec autem verba decies reiterabis. Tunc autem totaliter illum hominem videbis, cui tuam dicas petitionem; et complebitur cum effectū.

Cum Luna fuerit in Piscibus. Cum autem Luna fuerit in Piscibus et eius virtutem et potenciam attrahere volueris, recipe succi de canabeto ℞ et quintam partem libre, succi platani tantumdem; et insimul eos misce. Predictos autem succos a prelibatis rebus extrahas dum Sol fuerit in Virgine et Mercurius fuerit luminosus et recte progressivus; et sint pistati in mortario marmoreo. Hoc autem sic peracto, adde eis masticis 3 iiii, ambre et camphore ana 3 ii, algalie 3 i, sarcocolle 3 x. Omnia vero ista sint optime incorporata insimul, quibus adde sanguinis cervi decollati cum cultello latonis ℞. Cum autem omnia simul incorporata fuerint, pone ea in vase vitreo. Tunc enim vadas ad locum fontis aque vive, et predictum vas vitreum super auriculam fontis collacabis. Deinde accipe unum thuribulum, et ipsum super lapidem in medio aquarum dicti fontis taliter apta ut ab aqua undique thuribulum circumvolvatur. Tunc autem in eo ignem accendas; et cum accensus fuerit, aperias os vasis vitrei et predictum vas in ignem evacua, scilicet paulatim usque quo totum effundatur in igne. Deinde facias tuum sacrificium. Tibique Lune servus apparebit, cui tuam petas petitionem; et ad effectum deducetur. Magna mirabilia magnique effectus apud Indos in suffumigacionibus, quas Indi calcitarat appellant, consistunt; et ex eis quidem in septem planetarum effectibus operantur. Quas suffumigaciones ex natura planete cui peticio sit esse oportet.

Et primo de Saturno. Cum per Saturnum operari volueris, 7 diebus ieiunabis a die dominico incipiendo; 7 vero die, videlicet die Sabbati, corvum nigrum decollabis, et dicas: In nomine Anzil, qui cum Saturno positus est. Tu, Anzil, qui es Saturni angelus! Coniuro te per alti firmamenti dominum ut meam petitionem meumque desiderium adimpleas. Postea vero operare cum calcitarat in quibus volueris. Figure autem Saturni sunt iste:




Cum per Iovem operari volueris, septem diebus ut supra ieiunabis a die Veneris incipiendo. In fine vero istorum dierum, videlicet in die Iovis, unum agnum decollabis eiusque comedas epar, et dicas: Tu, Roquiel, angele qui cum Iove fortunato et bono atque in fortuna maiori completo et formoso positus


es! Per alti dominum firmamenti te coniuro ut tu meam recipias oracionem meamque petitionem in eo quod tibi peto execucioni tradere digneris. Postmodum cum calcitarat in his que volueris operare. Et he sunt eius figure:




Cum vero per Martem operari volueris, septem diebus a die Mercurii incipiendo ieiunabis. In fine quidem istorum septem dierum, scilicet in die Martis, gattum pardum decollabis, et dicas: Tu, Zemeyel, angele Martis, in armigeris et lite es fortis et potens et ignis ardentis dominus! Coniuro te per alti firmamenti dominum ut meam recipias petitionem et ut mihi tale quid ad effectum facias pervenire. Hic autem tuam dicas petitionem, et in his que petieris cum calcitarat operare. Et he sunt eius figure:




Cum autem per Solem operari volueris, septem diebus ut supra a die Lune incipiendo ieiunabis. Ultimo vero die, scilicet die dominico, unum vitulum bovinum parvum decollabis eiusque comedas epar, et dicas: Tu, Yebil, angele Solis, luminosi illius qui est bonitas mundi, luminis et lucis dominus; ipse enim est fortuna completa, et per eum fit infortunium et detrimentum. Coniuro te per dominum alti firmamenti ut mihi tale quid facias et talem meam compleas petitionem. Et quod volueris petas, et cum calcitarat in his que volueris operare. Et he sunt eius figure:




Cum enim per Venerem volueris operari, incipiendo a die Sabbati usque ad diem Veneris ieiunabis. Die vero Veneris columbam albam decollabis; die autem quarto eius comedas epar, et dicas: Tu, Anbetayl, angele Veneris, fortunate et formose! Per alti firmamenti dominum te coniuro ut mihi tale quid facias et talem compleas petitionem. Et quod volueris petas, et cum calcitarat in his que volueris operare. Et he sunt eius figure:



Cum per Mercurium operari volueris, septem diebus ut supra a die Iovis incipiendo ieiunabis. Ultimo vero die, scilicet die Mercurii, gallum album et nigrum decollabis eiusque epar comedas, et dicas: Tu, Arquil, angele Mercurii, nobilis domini boneque maneriei! Per alti firmamenti dominum te coniuro ut mihi tale quid facias et compleas. Et hic tuam dicas petitionem, et operare cum calcitarat. Et he sunt eius figure:



Cum autem per Lunam operari volueris, septem diebus a die Martis incipiendo ieiunabis. Ultimo vero die, scilicet die Lune, unam pecudem decollabis eiusque epar comedas, et dicas: Tu, Cahil, angele Lune, que clavis est bonitatis cuius principium est leve! Per alti firmamenti dominum te coniuro ut mihi tale quid facias et talem petitionem mihi compleas. Et tuam dicas petitionem, et operare cum calcitarat in his que volueris. Et he sunt eius figure:



Omnia vero suprascripta sapientes antiqui huius operis invenere, et in ipsis sunt multi effectus in operibus nigromanticis, scilicet ex suffumigacionibus mirabilibus et ymaginibus. Et Caldei, qui in terra promissionis morantur et qui olim Capti dicebantur, in istis operibus multum sunt virtuosi. Et de

ipsorum operibus quamplurimum in libro De agricultura Caldea invenitur. Et Abenvasia, qui agriculture transtulit Librum, cuncta eorum opera nominavit. Nos quidem in hoc nostro libro ex eis aliqua intendimus narrare.

Capitulum tertium. In quo loquitur quid Caldei tenent ex profunditate aut secretis huius sciencie et quid de ea locuti fuerunt.

Sunt etenim magi qui in hac sciencia et opere se intromiserunt Caldei; hi namque in hac perfectiores habentur sciencia. Ipsi vero asserunt quod Hermes primitus quandam domum ymaginum construxit, ex quibus quantitatem Nili contra Montem Lune agnoscebat; hic autem domum fecit Solis. Et taliter ab hominibus se abscondebat quod nemo secum existens valebat eum videre. Iste vero fuit qui orientalem Egipti edificavit civitatem cuius longitudo duodecim miliariorum consistebat, in qua quidem construxit castrum quod in quatuor eius partibus quatuor habebat portas. In porta vero orientis formam aquile posuit, in porta vero occidentis formam tauri, in meridionali vero formam leonis, et in septentrionali canis formam construxit. In eas quidem spirituales spiritus fecit intrare qui voces prociendo loquebantur; nec aliquis ipsius portas valebat intrare nisi eorum mandato. Ibi que quasdam arbores plantavit, in quarum medio magna consistebat arbor que generationem fructuum omnium apportabat. In summitate vero ipsius castrum quandam turrim edificari fecit, que triginta cubitorum longitudinem attingebat, in cuius summitate pomum ordinavit rotundum, cuius color qualibet die usque ad septem dies mutabatur. Infine vero septem dierum priorem quem habuerat recipiebat colorem. Illa autem civitas quotidie ipsius mali cooperiebatur colore, et sic civitas predicta qualibet die refulgebat colore. In turris quidem circuitu abundans erat aqua, in qua quidem plurima genera piscium permanebant. In circuitu vero civitatis ymagines diversas et quarumlibet manerierum ordinavit, quarum virtute virtuosi efficiebantur habitantes ibidem et a turpitudine malisque languoribus nitidi. Predicta vero civitas Adocentyn vocabatur. Hi autem in antiquorum scienciis, earum profunditatibus et secretis atque in astronomie sciencia erant edocti. Ego autem vidi compositionem quandam ad hominem abscondendum taliter ordinatam. Cum autem eam facere volueris, accipe unum leporem in vicesima quarta nocte mensis Arabum, quem versus Lunam, ipsam aspiciendo continue, decollabis. Et ex suffumigacionibus Lune suffumigabis, verba Lune supradicta dicendo; et dicas: Rogo te, angele spiritus nigromancie et abscondari, tu qui Salnaquil dicebaris! Per illum vero tibi supplico qui tibi virtutem et potenciam et fortitudinem in hoc opere tribuit, ut id quod tibi peto ex rebus tuis potenciis attributis mihi largiri digneris. Cum autem predicta dixeris, sanguinem recipe leporis supradicti, quem cum felle ipsius misceas. Eius vero corpus taliter sepelias ut nemo valeat eum videre quoniam, si dimiseris eum hinc ad sequentem diem aliquo modo discoopertum, scilicet dum Sol super eum fuerit elevatus, te interficeret spiritus Lune. Sanguinem vero quem cum felle mixtum accepisti tecum apportabis et usui reservabis. Cum autem te abscondere volueris et a nemine videri, recipe ex eius sanguine cum felle mixto ut supra in hora Lune, et ex eo unge faciem tuam; et verba Lune supradicta dicere non taceas quia dum ea dixeris ab aliorum visione privatus totaliter efficiaris, et ex hoc facere poteris quod affectas. Cum vero videri volueris et te palam eis facere, desine dicere dicta verba et abluere faciem tuam,

ungeque eam ex cerebro capitis leporis supradicti, et dicas: Tu, spiritus Lune, discooperias me et hominibus me apparere facias. Tunc autem videbunt te omnes. Et hoc ex operibus Lune existit et ex magnis secretis et profunditatibus istius sciencie reputatur.

Capitulum quartum. In quo loquitur de ymaginibus et racionibus que nimis adiuvant hanc scienciam.

Cuncta vero que hactenus in hoc libro nostro fuimus recitati ex dictis sapientum antiquorum eorundemque libris in ista sciencia et opere loquentibus extraximus ab eisdem. Qui autem hunc librum legerit ipsumque perfecte aspexerit et ea que usque nunc diximus intellexerit diligenter cognoscet et sciet laborem quem in istius libri ex diversorum librorum dictis istius sciencie tractantibus compilacione, et que sunt istorum operum radices, habuimus. Unum quidem ex istius sciencie libris perfectum invenimus volumen, quod a Mercurio sapiente Babilonie extitit conditum; in quo quidem amporismorum liber qui Secretum secretorum Enuncupabatur erat. Et ab ipso 45 elegimus amporismos qui in hac sciencia et opere utiles non modicum reputantur.

Quorum primus est: Si operaberis ex pertinentibus illius planete et ex his que sunt ipsius nature cum quo operari volueris, et eciam ab eisdem non recedas, maximum quidem adiutorium in fortitudinem, virtutem et potenciam illius planete attrahendo habebis.

2: Petas Soli ut timearis et gloriam habeas, principium exercituum, altum cor, regimen magnatum, destructionem regum et accensionem ignis et virtutem tenebris lumen inferre.

3: Petas Lune agilitatem motuum, cursus aquarum, virtutem patefaciendi secreta, ignem extinguendi, agibilia minuendi necnon et separandi opiniones unitas.

4: Petas Saturno attardacionem motuum, celamentum puritatum, civitatum destructionem, corda humiliare et aquas quietare.

5: Petas Iovi cumulacionem diviciarum, somniorum ornacionem, ociositatem fugiendi tristicias, labores et lites derelinquendi, itinera tam per mare quam per terram secure permeare.

6: Petas Marti vinccionem inimiciarum, fortitudinem cordium, malorum animalium motus appetere et aptare, ignis accensionem, guerras disponere et victorias ex inimicis habere.

7: Petas Veneri coniunctionem voluntatum, virtutem alacritates et amicicias movendi et ociositatem et tristiciam expellendi, appetitum vigorandi, generaciones augmentandi, filios multiplicandi, ignem extinguendi et ab animalibus securus permanendi.

8: Suffumigaciones plurimas facias, perfecte credas, ieiunabis sepe, multas fundas oraciones, loca operibus digna elige, aspectus planetarum aspice. He autem operum magice sunt radices.

9: Levis erit peticio tua si planeta cui sit peticio dominus tue nativitatis fuerit; sin autem, erit difficile tuam petitionem ad finem debitum pervenire.

10: In spiritibus enim virtus planetarum effectus roborandi existit suasque qualitates meliorandi atque eas minorandi et deteriorandi suasque potencias expergendi.

11: Si diversificabitur ascendens a natura petitionis, numquam complebitur

peticio nec eciam oracio ad id quod petitur attinget.

12: Stellarum fixarum ymagines ymaginibus retrogradarum durabiliores reputantur.

13: Si opus tuum cum planeta ab aliqua stellarum fixarum eiusdem nature auxiliato feceris, magis completum erit, et perfectius quando vigorem planete et stelle fixe durabilitatem habebit.

14: Cum autem ascendens, peticio et planete unius nature extiterint et te in ea adiuuabis ex stella fixa tuamque credulitatem et voluntatem firmam habueris, tua peticio complebitur leviter et ex vigore planete roborabitur.

15: Scias enim quod cum stellis de beneytre volante in effectibus motuum adiuuaberis, et cum stella [de beneytre] cadente in quietacionum effectibus similiter adiuuaberis.

16: Diligenter planetarum coniunctiones inspicias; nam hoc opus nimis augmentatur ab eisdem.

17: In aspectibus prout in eorum coniunctionibus ymaginum radix consistit.

18: Pone significatorem in medio celi et in domo atque in exaltacione sua, et facias ut fortitudinem habeat in ascendente.

19: Adiuua te a Sole cum aliquem vincere et superare volueris; tunc enim levius tua peticio complebitur et crescet.

20: Adiuua te a Luna cum aliqua volueris retinere; tunc vero tua peticio levius complebitur et crescet.

21: Adiuua te a Saturno cum aliquem volueris in infimum ponere et mala inferre; tunc enim levius tua peticio complebitur et crescet.

22: Adiuua te a Iove cum ascendere volueris ad bonum; tunc tua peticio levius complebitur et crescet.

23: Adiuua te a Marte cum vincere volueris in placito et bello; tunc enim tua peticio levius complebitur et crescet.

24: Adiuua te a Venere cum volueris amorem et amiciciam querere; tunc enim tua peticio levius complebitur et crescet.

25: Adiuua te a Mercurio cum scire et intelligere volueris atque succiditatem expellere; tunc enim tua peticio levius complebitur et crescet.

26: Tarditas enim petitionem consequendi ex errore in tuo opere facto vel mala credulitate tua aut inordinata huius operis constructione consistit.

27: Opera facta cum suffumigacionibus et oracionibus prout decet meliora sunt eis in quibus suffumigaciones deficiunt et voluntas est diversa.

28: Lumen Solis et proiectio radorum spiritus planetarum nocturnorum abscindit.

29: Obscuritas noctis et quietudo motuum spiritus diurnorum planetarum abscindit. Post hec autem cuilibet planete secundum eius tempora et secundum id quod proprium est ei debes servire.

30: Ponderosus planeta cum sua tarditate efficaciores habet effectus planeta leviori quamvis propinquior effectibus existat.

31: Marti unionem ne petas sicuti Veneri non petitur separacio; et ne petas aliquem ex planetis a sua natura suoque tramite deviare.

32: Stellis cometis in pertinentibus eisdem cum apparent sicuti stellis fixis servias.

33: Petas Mercurio, ipso in signo mundo existente; et Lune cum eo servias. Inde enim habebis duas qualitates.

34: Mercurio in infirmitatibus capitis servias propter suarum qualitatum

diversitatem.

35: In operibus Mercurii velocitatem lingue petas cum ipse in sua domo fuerit.

36: Accidit aliquando quod pertinencia Marti recipiuntur a Sole et contra pertinencia Soli a Marte recipiuntur.

37: Aliquando accidit quod pertinencia Lune recipiuntur a Venere et pertinencia Veneri recipiuntur a Luna.

38: Sol enim abhorret pertinencia Saturno et pertinencia Soli abhorret Saturnus.

39: Recipit Venus pertinencia Iovi et pertinencia Veneri recipit Iupiter.

40: Luna abhorret pertinencia Marti et abhorret Mars pertinencia Lune.

41: Iupiter abhorret pertinencia Marti Marsque abhorret pertinencia Iovi.

42: Mars enim abhorret pertinencia Veneri et Venus abhorret pertinencia Marti.

43: Mercurius abhorret pertinencia Iovi et Iupiter abhorret pertinencia Mercurio.

44: Ex opinionibus sapientum apparet quod due infortune inimicantur propter diversitatem et discordiam quas habent in essencia nature. Totum autem hoc debes scire et intelligere perfecte. Istos autem amphorismos ex supradictis sapientis verbis elegimus.

Ex libro vero Ptolomei Centiloquio nominato hos decem elegimus amphorismos.

Quorum primus est: Potest autem astrologus multa opera effectuum stellarum suarumque naturarum retrahere et obviare si sciverit eas suaque opera atque suos cognoscet effectus. Et potest accidere quod antequam effectus stelle receptorem attingat recipiat eum.

2: Spiritus operantis effectus celestes adiuvat sicut messes naturales – videlicet arare et cultu terrarum adiuvantur messes.

3: Forme huius compositi mundi formis obediunt celestibus; et ex hoc sapientes magice artis mandaverunt has formas figurare quando planete in illis celestibus formis existebant, cum intelligere scienciam volebant.

4: Servias infortunis, ab ipsisque adiuva te in his que volueris quemadmodum ex speciebus venenosis pondere congruo phisici adiuvantur.

5: Duarum substanciarum conveniencia in una re illis duabus earumque nativitate assumpta. Si in eadem fuerit similitudine, inter eas conveniencia habebunt; et id quod ex eis in forciori loco permanserit principatum obtinebit et dominium, et id quod in debiliori fuerit loco erit ut serviens et receptus.

6: Amicicia enim et inimicicia ex locorum Solis et Lune in eorum origine permutacione accipitur et ex conveniencia ascendentis amicicie et inimicicie atque diversitate. Signum autem obediens forcius est in amicicia.

7: In fabricacione civitatum servias stellis fixis, et servias planetis in fabricacione domorum. Habitantes autem in civitatibus Marte aut aliqua stellarum eius nature in medio celi existente fabricatis ex armis necabuntur et ferro.

8: Esse autem et effectus in hoc mundo, ex generacione videlicet et corrupcione, fiunt ex 120 coniunctionibus quas septem planete faciunt. Et in omni quidem effectu aspicias esse formam receptionis; nam ex ipsa forma completur effectus.

9: Sol vero est minera potencie animalis, Luna autem potencie naturalis, Saturnus enim potencie retentive, Iupiter vero potencie augmentandi,

Mercurius quidem potencie estimacionis, Mars vero potencie acuitatis et ire, et Venus quidem est potencie appetitive minera.

10: Mars autem et Mercurius et Venus in natiuitatibus significant voluntates et maneries illius natiuitatis atque eius opera suaque magisteria ostendunt. Dicta Platonis. In libris vero philosophie editis a Platone inuenimus quod nullus alius quam Iupiter veritatem ostendit. Alibi enim ait: quemadmodum sanguis, colera, melancolia et flegma sunt elementa corporis, similiter virtutes ipsorum elementorum procedunt a planetis, et ita unius in alterum actio et ab altero in alterum passio in principio generacionis sunt ex planetis. Et iterum alibi dicit quod illud propter quod in sciencia astronomie veritas deficit nec omni tempore inventa extitit et nec ubique nonnisi ex diversitate actoris accidit et ex errore. Ob hoc autem astronomie demonstraciones in auguriis et avibus diversificantur, quod secundum eorum demonstraciones in posterum se ostendunt. Et ob hoc illud quod est et quod non est accidit et evenit.

Dicta Ypocratis. In Ypocratis libris philosophie inuenimus: cum autem Iupiter solaris anni fuerit dominus, illo anno pauce infirmitates multeque sanitates erunt, et animalium generaciones multiplicabuntur.

Dicta Aristotelis. Et inuenimus in libris Aristotelis: regnum Saturno, iusticia Iovi, alacritas Veneri, estimacio Mercurio, opera Lune, et superbia Marti attribuitur.

Scire autem oportet quod omnia supradicta in hoc loco non recitavi nisi ut scias et intelligas quod supradicti sapientes nonnisi in aspiciendo profunditates et secreta huius operis studebant, et ut ea simul unirent ad hoc ut ex eis possent finem optatum attingere.

De Iohannicio. Iohannicius vero filius Ysaac quendam librum Aristotelis, Grecorum domini, transtulit, quem ego aspexi; eo quod dicta sapientum suarumque estimacionum profunditates necnon et suorum intellectuum conclusiones intelligere valeas, in hoc loco proposui recitare. Iam enim quedam in primo huius voluminis libro fui allocutus, ex quo in hoc loco aliqua recitabo. Quidam autem ex sapientibus ibi loquendo dixerunt: cuncta opera cunctaque magisteria ianuam habent per quam ad ea intelligendum possit intrari, et habent scalas per quas ad optatum ascendere valeant. Et hoc: quod nemo absque ordine et regulis petitur attingere potest. Et: in eo quod queritur periculum generatur. Cuncti vero sapientes philosophi in hac sciencia sunt locuti: hoc datum sit a Deo et a celestibus virtutibus. Et que dixerunt taliter dixerunt ut nemo ipsa nisi in scienciis illustrati propter eorum difficultates necnon et profunditates intelligere valeant. Sed hoc opus et sciencia sapientibus perfecte qui eam recto tramite perscrutantur in omnibus propalatur. Est enim principium huius sciencie scire figuras stellarum celi ascendencium et cognoscere que figure figurantur per ipsas, et que absque aliis demonstrantur, et que non figurantur per eas nec absque augmento membri alterius figure perficiuntur. Cum autem has sciveris figuras earumque naturas, propter ipsarum naturas in terrenalibus poteris illarum naturis pertinentibus, videlicet in figuris animalium secundum convenienciam et proporcionem figuris celestibus, operari. Et si animadvertas rectam convenienciam et figuras convenienter coniungas et preparabis, istud erit yles et istius operis radix. Et cum ymago sic peracta fuerit, erit in suis effectibus durabilis et perfecta; quod si sic peracta non fuerit, eius effectus damnatur secundum damnacionem materie terrenalibus et damnamentum istius composicionis. Et eius durabilitas per stellam fixam contingit; melior vero natura et melior effectus ymaginis est

qui fuerit per planetas, et durabilior effectus cum aspicitur a fortuna que ipsum adiuuat ad fortitudinem et potenciam spiritualium ad terram trahendi a celo. Sunt igitur in nominibus Dei aliqua verba que faciunt a celo spiritus ad terram descendere. Ille vero qui istis nominibus et verbis operatur si sapiens et doctus in naturis spiritualium et stellarum non fuerit, potencia spiritus descendens interficiet eundem; et ideo nemo nisi sapiens reperitur qui gratiam habeat istis nominibus operari. Et in operibus nigromanticis eciam verba reperiuntur que supradicto modo operantur, sed ipsa verbis et nominibus nigromanticis non perficiuntur nisi cum Dei virtute, mandato et gracia fuerint adiuncta. Et tunc superna celestia materialibus terrenis eciam usque ad terre centrum descendendo alligabuntur.

Ymago enim primitus secundum naturalem substanciam pro qua facta est fieri iubetur, nec fieri potest absque nigromanticis verbis virtutem habentibus. Quantumcumque enim poteris advertas ne inter has naturas et figuras inimiciam in proprietatibus operis et discordiam habeas. Verbi gracia: magister enim ymaginem faciens leonis debet esse alti cordis et vigorosus, nec ab illo animali in sua existente natura timeat; imo debet esse homo qui alias viderit leonem, et sciat et cognoscat eius naturam, et que ipsum ducunt ad iram et voluntatem malam agnoscat. In hoc autem sapientes antiqui sunt non modicum concordati. Cum vero predicta peracta fuerint ut diximus, ad finem optatum perveniunt.

Item cum aliquam ymaginem componere volueris, facias ipsam sub tempore quo tale animal movetur et quo sua vigoratur natura; nam isto modo ipsius ymaginis roboratur potencia. Item advertas ne in tempore facias quo aliquid ei venit accidens. Verbi gracia, in leone: non facias ymaginem leonis tempore quo ei accidit febris; nam opus ymaginis debilitatur in virtute. Omnes enim celorum motus in ipsa terrenali figura virtute Dei moventur. Item aspice motus illius stelle a qua dicte ymaginis virtutis durabilitatem volueris, ut non impediatur quousque opus ymaginis construitur. Item aspice duas figuras, videlicet gradum signi opus figure principans et motus eiusdem, ut non ab aliquo impediatur quoniam, dum in suo celo liberi moventur, virtutes ymaginis similiter eundo, redeundo, elevando et deprimendo moventur. Item optime aspicias coniunctiones, oppositiones et aspectus in construendo ymaginem, et quod eius figura in celo manifestetur et eidem contradicencia occultentur. Scias enim quod si in construendo ymaginem non observaveris supradicta, ipsius effectus non complebuntur.

Geber autem Abenhayen Ein hac sciencia loquendo dixit: opus ymaginis simile est effectui nature, nec nisi pertinencia stellis ex animalibus, arboribus et lapidibus sciendo, planetarum et stellarum fixarum necnon et signorum ad terrena loca cognoscendo aspectus et in astronomie sciencia motus celorum, domus et exaltaciones planetarum, longitudes, latitudes eorum, mansiones Lune, locorum terre naturas eiusque aquas, terras, pluvias, nives et earum terras, maria, tempora, et in quo loco a linea distant equinoctiali, et ex quibus animalibus magis generantur ibidem, et in quibus effectus quorundam animalium tam reptilium quam aliorum magis permanent, et tempora quibus ex dictis animalibus non generantur in eis et quibus generantur, cum scire necesse est; in constructione quidem ymaginum supradicta scienti leve erit opus quia ei quicquam non erit difficile. In constructione vero supradictarum naturarum (scilicet in opere ymaginum) firmiter in lapidibus quam arboribus et animalibus reputantur eo quod arbores leviter comburuntur et animalia

putrefiunt. Effectus quidem animalium duo sunt – unus scilicet ad lucrandum et tirandum et alius ad proiciendum et fugandum. Et tempora etiam in istis duo sunt tempora et motus duo motus – scilicet tempus accipiendi et lucrandi et tempus proiciendi et fugandi. Hoc in capitulis oppositionum graduum reputatur. In lapidibus vero quoddam maximum latet secretum, videlicet: quando aliquod animal – scilicet, quod fugare volueris – in sua natura fuerit calidum, lapis frigidus esse debet; et si animal humidum fuerit, lapis vero siccus; et e contrario. Ex hoc autem comprehenditur quod si bivas et vespas fugare volueris, opus in lapide de alaquech et in adamante et similibus fieri iubetur; sed si in eorum naturis frigida fuerint sicuti sunt scorpiones, cimices, musce, pediculi et his similia, operare in lapide calido ut sunt lapis dehenech et cristalli et cum ere et auro et similibus. Hoc enim in operibus fiat ad fugandum. Opera vero que ad tirandum et lucrandum fieri debent in convenientibus et pertinentibus quemadmodum in operibus bivorarum, ut eam in auro aut ere et his similibus facias. Totum hoc propter convenienciam complexionum, directiones motuum, diversitates coniunctionum et motuum insimul coniunctorum et substancie motuum accidit; figure enim et forme in forma et figura illius animalis pro quo fit esse debent, ut figura muris in figura muris, et figura colubri in figura colubri, et figura scorpionis in figura scorpionis. Dico enim tibi quod, si quantitas lapidis in quo ymago componitur fuerit magna (videlicet, ab una uncia usque ad unam libram), eius virtus et potencia hinc ad centum leucas attingere potest. Hoc autem contingit eo quod res composita in sua figura natura [eo quod leuca] motum nullum habet et effectum nisi solummodo suum locum terminare, sed non secundum substancias et naturalia corpora. Spiritus enim ampliora loca habent corporibus paucorum spirituum.

Plato ¶vero sic ait: Corpora spiritibus sunt contraria quia ex vita unius contingit sustentacio alterius. Et subdit: Debetis vos finem vestrorum corporum sustinere propter vitam vestrorum spirituum, videlicet quod corpora spirituum sunt ancille et eis in eorum generacionibus et cunctis suis operibus serviunt. Nolite enim vestros spiritus vestris corporibus servientes ullo modo nec interficere mortuum propter vitam viventis nec interficere vivum amore defuncti.

Et iterum quesiverunt ab eodem: Quare letantur spiritus motu cordarum? Quibus respondit: Quoniam natura suis potentiis rationabilem spiritum movet et animal propter similitudinem manifestam nature illius quod est secundum corpus; sic est erga spiritum ordinis amicitie, amoris et victorie. Postea aliquando partes divisas coniungit et partes coniunctas aliquando dividit. Postea quando natura motu coniuncto movetur (volo dicere coniunctionem parcium), tunc duo spiritus iunguntur in amore spirituali proprio; et unitur cum intellectu rationabili. Et spiritualis est primus, qua de causa eius mundum videt; et sic purus et simplex efficitur. Cum autem motu disgregato movetur, sibi ipsi spiritum attrahit animale et ad amicitiam pervenit corporalem. Et sic in terminacione victorie spiritus rationabilis gaudet et regnat propter similitudinem subtilitatis, que ex parte ordinamenti rationabilis affectatur. Gaudet similiter spiritus animalis propter partes et cordas divisas secundum similitudinem a partibus nature divisam. Et hoc est quoniam spiritus habet in se formas mirabiles quas spiritus attrahere erga naturam non potest; deinde motor nature iuvat in sui substancia corporis

(volo dicere corpora cordarum et eorum pondera), et tunc letatur spiritus motu illarum figurarum que ratione attrahi non possunt. Et eas attraxit spiritus per figuras et motus subtiles et visiones oculi et aliorum membrorum corporis. Tu autem qui in hac sciencia proponis laborare assuefacias tuum spiritum et cogitationes in rebus quas isti homines exercebant, et cum tuo spiritu taliter pugna ut attingas ea que attigerunt predicti. Sapientes vero antiqui in vigilando et dormiendo versus spiritus sic dicentes docebant: Assuefacite enim vestros spiritus in visionibus quia vobis occurrere potuerunt multa et ea in somnis lucrari que vigilando attingere poteritis minime. Hoc autem sic intelligitur in tempore quo sensus manifesti vigilant, sensus absconditi debilitantur nec suos valent complere effectus. In tempore vero quo sensus manifesti quiescunt et nil operantur, tunc sensus absconditi secundum vigorem cogitationis et ymaginacionis, memorie et estimacionis in spiritu existentis operantur. Et tunc vigor estimacionis est simplex nec ab aliquo impedimento impeditur; tunc enim calor absconditur. Et dum fuerit absconsus, superfluitates corporis liquefiunt. Scias autem tu qui hanc perquiris scienciam quod, quando tuum assuefacies spiritum in predictis, tunc in tempore visionis manifestabuntur tibi, et que necessaria sunt intelliges in petitis.

Capitulum quintum. Ostendit que sunt decem sciencie huic arti necessarie, et qualiter ex eis hec sciencia adiuuatur, et que sit radix sciencie nigromancie.

Sapientes quidem antiqui qui hanc scienciam invenerunt nonnisi cum continuo labore inquirentes et omnia probantes tam vigilando quam dormiendo ad id quod voluerunt attingere pervenerunt. Hoc autem tramite consequendo sciverunt et intellexerunt duas conclusiones, prius decem artibus scitis, quarum quinque leges studentibus, quinque vero studentibus philosophiam necessarie reputantur.

Et prima harum est agricultura, marinaria et gubernare populum, quoniam ista est prima arcium in gubernacione civitatum et regnorum. Et hoc nonnisi per antiquas sciencias ex quibus quamplurimi libri inveniuntur fieri potest. Et post hanc est ars ducendi milites, gubernandi exercitus, lites et prelia faciendi, animalia et aves vociferandi et ipsas decipiendi. Et etiam ex istis libri reperiuntur quamplurimi.

Post istas sunt artes civitatum per quas homines adiuvantur; et secundum hoc est grammatica, divisio idiomatum, ratiocinare iudicia, facere rationes et iura intelligere et ea que sequuntur ista, ut scribana cum eius pertinenciis, emere et vendere, et cetera. Ex his vero quamplurimi reperiuntur libri.

Deinde sequitur arismetria et omnes libri per quos numeri et his similia sciuntur. Post hec sequitur geometria, in qua quidem theorica et practica consistunt; ex hac vero terras mensurandi, pondus elevandi, faciendi ingenia, aquas ducendi, instrumenta in aere, specula comburencia construendi et aspectus. Post hoc sequitur astronomia, per quam sciuntur gressus planetarum et stellarum iudicia. Post hanc musica dinoscitur reperiri, sub qua cantare, pulsare notasque facere comprehenduntur.

Post istam dialectica, que in octo dividitur libros, in qua Aristoteles sapiens nos docuit intrare.

Post hanc est phisica, que in duo dividitur, scilicet in theoricam et practicam.

Post istam sequitur ars nature, quam Aristoteles et alii sapientes philosophi posuerunt. Et ex ea quamplurimi habentur libri, qui multis glosis multisque expositionibus indigent; quorum primus Oydus naturalis nuncupatur, secundus Liber celi et mundi, tercius Liber generacionis et corrupcionis, quartus Liber signorum que apparent in celo, quintus Liber minerarum, sextus Liber vegetabilium, septimus Liber animalium motuum, scilicet de uno loco ad alium.

Deinde sequitur Metaphisica, quam Aristoteles in tredecim composuit libris. Nam qui illos bene intellexerit et sciverit perfecte erit sapiens completus et perfectionem appetiti amati pertinet.

Post omnia ista iste duo conclusiones quas diximus ex dictis decem artibus recte consequuntur; nam qui has decem nesciverit artes numquam dictas conclusiones attinget. Postea vero que usque nunc diximus temetipsum sollicitare oportet et necessarie ascendere ad sciencias omnes supradictas sciendas, quia cum in ipsis perfectus efficiaris, ad ea attinges que sapientes antiqui attigerunt, et intelliges sapientum opera et sciencias spirituales, et facies ea que faciebant ipsi. Et secundum quod opus erga spiritus prout in viribus animalium consistit feceris ab altissimo gratiam consequeris. Et hoc est quod ex secretis dictis comprehenditur prophetarum.

Post hoc sequitur amor; nam in amore maxime consistunt potencie. Et nota quod duplex est amor, videlicet amor virtutibus acquisitus et amor viciis imbutus. Amor enim virtutibus acquisitus est hic quem diximus, et in nullo alio quam in isto acquirendo inspicere debes. Amor enim viciis imbutus est amor corporalium viciorum materialiumque formarum; ab hoc igitur amore quantumcumque poteris fugias. Dictum est enim in libris sapientum quod ligamentum spirituum proporcionibus et convenienciis primo in amore consistit. Spiritus quidem hominum in tres partes dividitur, scilicet in spiritum animale, spiritum naturale et spiritum rationale. Cum autem naturalis spiritus hominis alios vicerit, talis rerum comestibilium et bibendarum et nullorum aliorum erit amator; si vero spiritus animalis alios vicerit, in nullo alio preterquam alios vincere et superare erit amator; quod si rationalis spiritus vicerit, intellectuum, bonitatum scienciarumque et in nullo alio erit amator. Hoc autem totum accidit eo quod nemo esse potest quin aliquis planetarum presit nativitati eiusdem; et talis planeta nativitatis dominus appellatur. Et ideo scias quod si Luna aut Venus fuerit dominus alicuius nativitatis, talis mulierum et ioculacionum erit amator; si autem Sol aut Mars nativitatis dominus fuerit, superandi et vincendi erit amator; si vero fuerit Iupiter aut Mercurius, talis sciendi et addiscendi atque bonitates intelligendi et bonitatum et iusticie erit amator. Ob hoc autem ex predictis quicquid extiterit in aliquo tam in sua natura quam in eius amore apparebit. Amor vero qui circa terrena versatur visu acquiritur, et tali visu utendo continue crescit sicut triticum in terra ex suo semine augmentatur, et sicut arbor cum plantatur, et sicut sperma animalis cum recipitur a matrice. Visus autem in hoc est sicut materia quoniam visus principium talis amoris consistit ita quod illa re amata utendo et eam visu respiciendo talis amor crescit et augmentatur, et cum eo unitur res illa, et eorum spiritus factus est unus. Hic est enim amor corporalis inter duos spiritus amicitie conveniencia in quibus reperitur amor. Quod si amor in spiritu rationabili fuerit, diliget id quod ex suo genere fuerit, videlicet sapiencias, sciencias, bonitates, stabiles virtutes, eternalia in quibus non reperitur finis; et merito hic amor bonitatis, nobilitatis

et altitudinis rationabilis spiritus nuncupatur. Alii vero amores quos diximus sunt mali et merito derelinquendi quia in ipsis est malicia spiritus, et ex tali amicicia et tali unione spirituum et istorum continuacione id quod aspicitur corrumpitur et damnatur.

Plato enim in libro De anima sic ait: Complexiones sicce et melancolice et fontes sicci infirmitatum et corrupcionum sunt factores quibus oportet ut videant et conversentur cum eis. Et in hoc animali sicco in terris calidis et siccis et montibus commoranti assimilantur. Ista enim damnant et corrumpunt quemlibet appropinquantem vel morantem in eis, et hoc velociter valde; et etiam damnant et corrumpunt per aspectum quem aspiciunt. Et secundum hoc ille qui cum malignitate aspicit sue complexionis et spiritus damnat et corrumpit id quod aspicitur ab eodem.

Capitulum sextum. Ostendit qualiter stellarum suffumigaciones fieri debeant, et demonstrat quandam compositionem huic sciencie necessariam.

Quidam autem sapiens ex Indie partibus qui in hac sciencia quamplurimum erat edoctus suffumigaciones compositas et naturas terrenas cum celestibus coniunxit naturis. Indi vero in cunctis ipsorum operibus et effectibus istis operabantur suffumigacionibus, et cum hoc ipsi tirabant spiritus planetarum et ipsos in quod volebant faciebant intrare, et ob hoc id quod volebant agere faciebant. Hoc autem opus proprium uni negotio soli non est, sed est conveniens suo singulo effectui sive operi ex operibus unicuique planete appropriatis sicuti sepe in hoc libro diximus. Et secundum hoc cum suffumigacionibus opera coniunguntur.

Suffumigacio Saturni. Recipe fructuum mandragore, foliorum olivarum siccatorum ana 3 c, granorum mirobalanorum nigrorum, cicerum nigrorum siccatorum ana 3 x, cerebri corvi nigri, cerebri gruis siccatorum ana 3 xxx, sanguinis porci, sanguinis simie siccatorum ana 3 xl, omnia bene pistata et insimul incorporata. Et ex istis facias trociscos ad magnitudinem 3β; et in faciendo eos operare cum potencia spirituali Saturni, videlicet cum eo quod locuti fuimus in libro 3 huius voluminis, capitulo sexto. Postea condensa eos et usui reserva.

Suffumigacio Iovis. Recipe florum balsamite, florum myrti, omnium siccatorum ana 3 x, incensi 3 xiiii, nucum mundatarum, avellanarum mundatarum et siccatarum ana 3 iiii, cerebri galli, cerebri columbi, cerebri anseris, omnium siccatorum ana 3 xl, sanguinis pavonis, sanguinis cameli siccatorum ana 3 xx, muscati, camphore ana 3 β; et advertas diligenter ne sanguines quos in ista suffumigacione dicimus a corde animalis extrahantur. Omnia vero ista bene pistata insimul ut supra dictum est incorpora; et per omnia facias prout superius de suffumigacione Saturni diximus.

Suffumigacio Martis. Recipe asse fetide rubeae, xenab, turbith ana grana xl, sagapini, auri pigmenti rubei ana 3 iiii, cerebri passerum, scorpionum siccatorum ana 3 xx, sanguinis leopardi 3 xl, axungie colubri rubei 3 x. Omnia bene pistata simul incorpora; et per omnia facias ut supra in aliis diximus.

Suffumigacio Solis. Recipe florum spice nardi, sandali crocei et rubei ana 3 x, ciperi, thymi, cassie lignee rubeae ana 3 vi, costi 3 ii, cerebri aquile eiusque sanguinis, cerebri gatti eiusque sanguinis ana 3 xx. Ea siccare permittas; et omnia per ordinem facias ut superius in aliis fecisti.

Suffumigacio Veneris. Recipe baccarum lauri, granorum nucleorum,

granorum thuris ana 3 viii, masticis, fustorum iusquiami ana 3 xx, fustorum polii, storacis ana 3 iiiii, attincar 3 ii, cerebri passerum, cerebri asturis siccatorum ana 3 xvi, sanguinis equi sicci 3 xl. Omnia bene pistata insimul incorpora; et per omnia ut in aliis fecisti facias.

Suffumigacio Mercurii. Recipe florum iusquiami, foliorum Indicorum, assari ana 3 xx, ambre, testiculorum buffi ana 3 iiiii, armoniaci rubei 3 ii, cerebri de grayas, cerebri upupe, cerebri testudinis ana 3 xx, sanguinis asini 3 xl. Omnia vero ista bene siccata et bene pistata insimul misce et incorpora; et facias per omnia ut in aliis fecisti.

Suffumigacio Lune. Recipe foliorum Persicorum, cinamomi ana 3 c, ireos, storacis siccati ana 3 xx, cumini 3 x, axungie serpentis albi 3 iiiii, cerebri leporis albi, cerebri gatti nigri, omnium siccatorum ana 3 xx, sanguinis vulpis 3 xl. Omnia bene pistata insimul incorpora; et per ordinem omnia facias prout superius in aliis fecisti. Memento quod supradicte confectiones omnium planetarum debent incorporari cum melle spumato; et ex eis fiant trocisci ut dictum est in Saturno.

Et semper dum ista feceris, operare cum potencia illius planete pro quo fit talis compositio, videlicet cum potencia spirituali prout tactum fuit in capitulo sexto terti libri. Item in tali opere construendo continue non taceas verba et oraciones illius planete dicere. Custodias autem te ut nemo has videat suffumigaciones, et quod ipsas non videant aliquo modo radii solares nec radii lunares; et eas reserva in loco electo, et reconde eas in vase metallino, et quod vas factum sit ex minera illius planete cui fuerit opus pertinens. Quod si ista non feceris ut dictum est, damnabitur opus; et scias quod damnum accidet operatori. Et post omnia ista tibi remedia dicam ut ne ab isto opere damnum sequaris.

Hic autem sapiens ex Indie partibus in quodam suo libro quoddam mirabile quod tibi recitare volo invenit; et est ex operibus Mercurii et ex profunditate et secretis spiritus ipsius, scilicet ex spiritibus sciendi et intelligendi et addiscendi. Et scias quod hoc est ex mirabilibus Indorum scienciis, secretis et profunditatibus. Cum aliquis ex Indie sapientibus populo predicare volebat, ex hac mixtione seipsum suosque ungebat socios; et ex hoc virtus spiritus abundabat in eo, et ei gratiam et virtutem et fortitudinem tribuebat super omnes, et obediebant eidem. Cuius compositio talis est.

Recipe sepi de grayde, pinguedinis cancrorum maris, sepi pecudis, sanguinis upupe siccati ana 3 xl, ambre 3 xx, foliorum malorum granatorum siccatorum, seminis de sydrac ana 3 x, costi 3 l. Omnia vero optime pistata insimul incorpora; et operando predicta, attrahas ad ipsa spiritum Mercurii, et continue dicendo oracionem angeli Mercurii prout recitavimus in hoc nostro libro. Et cum ista feceris ut supra, ea in bussula ex argento vivo congelato facta reservabis; et ista valent ad predicta ungerendo et suffumigando. Predicta autem sunt ex mirabilibus huius operis et eius secretis. Et quando sapientes Indorum volebant gentibus predicare, huius unctionis linebant se et socios suos, qua unctione virtus intellectiva spiritualis augmentabatur in eis, et eorum verba ab omnibus suscipiebantur devote, et obedientes efficiebantur suis sermonibus.

Hec autem confectio que est ex spiritu Saturni taliter componitur. Recipe axungie porci, axungie ursi ana 3 xl, capsie, granorum lupinorum ana 3 xx, granorum mirobalanorum 3 x, sanguinis elephantis siccati 3 xxx. Omnia vero bene pistata simul incorpora; et omnia per ordinem facias ut diximus supra. Eam autem conficiendo attrahe virtutem spiritualem et celestialem ad ipsam,

scilicet dicendo oracionem angeli Saturni ut in hoc libro diximus. Istam ergo confectionem ostendebant pro spiritu ut non audiantur homines et ut operantes obediantur. Te enim volo quoddam docere opus absque quo suffumigationes et unctiones planetarum supradicte compleri non possunt. Et hoc opus te facere oportet ut attractio virtutis spiritualis planete perfectius compleatur; hoc enim secretum maximum et profundum habetur. Cum vero volueris sanguines aut cerebra que in istis suffumigationibus et unctionibus diximus accipere, decollabis animalia quorum fuerunt supradicta, et ex ipsis facias sacrificium, quoniam ex sacrificio et suffumigatione levius fit spirituum attractio. Et cum tale volueris sacrificium facere, ponas planetam cuius spiritum attrahere volueris in sua exaltatione et ab infortuniis liberum. Hanc autem confectionem a nemine permittas videri, et ipsam in bussula plumbea reservabis.

Hec autem confectio custodit et defendit facientes suffumigationes a nocimento spirituum planetarum. Virtus vero et potencia istius confectionis est generalis cum in cunctis planetarum operibus et in locucionibus spirituum ipsorum necnon et contra toxica est maxime virtuosa, quoniam defendit et custodit eos ut a supradictis non offendantur. Cuius compositio talis est. Recipe cerebri scorpionis 3 vi, cerebri canis albi 3 iiii, cerebri pavonis, cerebri coturnicum (id est, quali) ana 3 viii, cerebri passerum 3 iiii, cerebri asturis 3 ii, sanguinis ericii masculi 3 vi, cerebri asini, cerebri upupe ana 3 xx. Omnia vero supradicta cerebra insimul misce et siccari permittite. Postea ipsa pistare, et ipsis addas sandali albi et crocei, cin<n>amomi, spice nardi ana 3 iiii, sagapini 3 i, ambre 3 xx, armoniaci 3 vi, thuris 3 x, musci 3 iiii, camphore 3 ii, quie (que est quoddam genus gummi) 3 xvi, mandragore 3 iiii. Omnia ista bene pistata insimul misce, et ea cum oleo de alben bene facto incorpora. Et ex eis septem pillulas rotundas facias, et ipsas ad umbram siccare. Et dum hanc feceris confectionem planetarum, et eorum oracionem necnon et suorum angelorum dicere non desistas. Cum autem has feceris pillulas ut diximus, eas in bussula ex omnibus septem metallis septem planetarum condita reservabis quoniam spiritus planetarum continue cum ipsa permanebunt. Qui vero aliquid ex septem planetarum operibus voluerit operari vel ex operibus celestibus, unam ex istis pillulis dum operatus fuerit secum habeat, quia dum unam ex eis secum tenuerit a spiritibus planetarum aliquod non recipiet detrimentum. Sapientes quidem antiqui cum hac mixtura a predictorum nocementis se tuebantur, unde scias quod hoc est maximum secretum et utile valde; ideo ipsum optime custodias et reserva.

Unctio autem que sequitur inventa est in libris sapientum, que unctio Solis nuncupatur; cuius virtus est ad gratiam, honorem, altitudinem et regum amorem, militum et magnatorum deputata. Recipe unam fialam vitri; et oleum rosaceum optimum, purum et nitidum ponas in ea. In die vero Martis versus Solem te in pedibus elevabis, Sole in Arietis vel Leonis signo commorante et in gradu ascendente existente et Luna ab ipso amicabilem aspectu aspecta; tunc vero dictam fialam tua dextra accipias, et tuam faciem versus Solem tenendo dicas: Salvete Deus, planeta, repletus tuo lumine et bonitate! O quam formosus et bonus in tua existis origine et in tuo spiritu ornatus! Tu vero es Sol, et tua luce tuoque spiritu atque vigore mundum gubernas. Tu candela celi, tu lumen universi, tu omnium generabilium factor; et hec potencia tibi a Deo infusa. Tu enim Sol es, qui quatuor mundi angulos in tuo celo girando perquiris. Tibi lumen et pulchritudo sunt divina potencia

concessa; tu vitam luminosam seu lucem Lune a suo principio usque ad finem concedis absque velamento. Te ergo rogo ut mihi in hoc oleo amiciciam, benevolenciam et amicabilem receptionem concedas taliter ut mea amicicia et voluntas in cordibus universi decurrant, quibus habere possim amorem, gratiam regum et sublimium hominum et infimorum. Ego sum talis. Rogo te et coniuro per tuam dominacionem ut amiciciam meam et amorem in suis cordibus, linguis et sedibus ubicumque consistant, et in gaudiorum suorum locis, apponas ut mea visione et amicicia gaudeant secundum eorum gaudia que accipere sunt assueti in moribus eorum; et hic meam presenciam aspiciendo et me honorent et letentur. Coniuro te, domine, per angelum Ancora, qui in quarto residet celo, et per [Anehutyora, Actarie, Ahudememora,] Behartyon, Actarie, Ahude<memora>, ut in hoc oleo quod in manu mea teneo amorem et benevolenciam cordium regum, dominorum et sublimium hominum ponas ut me appetant desideriose, nec inimicum habeam in universo; imo cuncti me diligant et ament cum obedientia, nec meorum preceptorum sint transgressores, sed potius mee gratie inquisitores. Coniuro te, domine, per Behibilyon, Celyuberon [beron], qui in quinto permanent celo, ut ipsorum corda aperias et eorum linguas taliter innodes ut de me mala dicere nequeant nec ipsa in verbo vel opere inquirere valeant; et predictam innodacionem facias per nunc et semper. Coniuro te, domine, per Zauceb, qui est angelus sexti celi, ut ora meorum inimicorum obtures; imo amorem meum et diligenciam in eorum cordibus infunde. Coniuro te, domine, per Barhaot, qui in septimo permanet celo, ut mihi amorem, bonam voluntatem, bonam famam et bonam receptionem concedas erga corda cunctorum universi, et mihi bonam receptionem et amorem completum cunctorum hominum tam in die quam in nocte tuo spiritu et gratia concedas. Coniuro te per nomen quod amores et amicicias vivificat, et quod corda amancium unit et copulat, ut meum amorem et benevolenciam in totis eorum cordibus infundas durabilem per nunc et semper. Amen. Hanc oracionem duodecies dicas, antedictis condicionibus observatis. Postea hoc oleum optime reservabis. Cum autem coram regibus, dominis vel altis hominibus accedere volueris, tuam faciem cum hoc oleo ungas; et quo volueris accedas, et videbis mirabilia in tua amicabili a predictis receptione. Hoc vero opus ut supra in libris Indorum invenimus scriptum; quod opus est continue in cunctis negociis apud eos.

Capitulum septimum. De his que ex arte nigromancie inventa sunt in libro De agricultura Caldea, quem Abubaer Abenvaxie de lingua Caldeorum transtulit in Arabicum.

In libro vero De agricultura Caldea, quem Abubaer Abenvaxie de Caldeorum idiomate transtulit in Arabicum, multa artis nigromancie opera et quamplures istius maneriei naturas invenimus quas in hoc loco sumus dicturi. In quadam enim illius libri pagina recitatur quod quidam ortulanus, dum in orto sub quadam arbore lauri nocte dormiret, dictam arborem loquentem audivit et dicentem: O homo, aspice in hoc tuo orto si arborem que meam pulchritudinem meamque bonitatem excedat inveneris; etenim nullus inventus est qui dicere valeat arborem meliorem, pulchriorem et honorabiliorem et preciosiore me se invenisse. Cui ortulanus respondit: Cur talia dicis et mihi quid significant dicito. At illa arbor ait: Ut me agnoscas talia tibi assero atque inter arbores alias me honores. Scias autem quod

honorem habeo et precitata sum a Iove, qui me diligit et honorat. Idcirco tibi dico ut pre ceteris arboribus me honores et in opportuno tempore me adores; nam opus mirabile et de cetero opportunum (maximasque utilitates inde consecuturus es) tibi ostendam. Igitur surgas media nocte in tuisque manibus oleum de glandine deferens; tuam autem faciem ungas ex eo. Deinde caput tuum versus celum Iovem aspiciendo erigas, et dicas: O Iupiter, qui es fortunarum fortuna! Rogo te precio et honore quos erga te habet hec arbor lauri ut mihi vitam hinc ad annos quindecim subsequentes concedas venturos. Cum autem hoc feceris, usque ad predictum tempus de vita securus permanebis. In veritate quidem dico tibi quod, si predictum feceris opus, veridicum reperies nec deficiet; et hoc modo temet ipsum iuvabis. Quo opere discernere poteris honorem et amorem quos cum Iove habeo, et qualiter me diligit et licetur.

In preallegato quippe libro dum de huius arboris proprietate fuit locutus sic ait: Dixit Adam ☐propheta quod si acceperis grana xiiii fructuum arboris lauri que optime sicca pulverizabis, quorum pulverem in scutella mundissima cum aceto vini posueris, quem verberabis cum baculo arboris fici – quem autem demoniacum esse volueris, sibi ex hoc pulvere dabis in potu. Nam fortissime videbitur a demone vexari, nec aliquis quid hoc sit percipere valebit. Cura: da ei tres ravanos medianos cum omnibus ipsorum foliis ita quod ex eis non aliquid relinquatur; et cum ipsius stomachum attigerint, ibidem modicum permanendo, liberabitur a predictis.

Experitur insuper ibidem de hac arbore lauri quod, si ex ipsius lauri foliis acceperis, propriis manibus elevando et antequam ad terram attigant, post aures tuas posueris – dum enim ipse ibidem permanserint, numquam eris ebrietate stimulatus nec caput dolebis quantumcumque vinum potaveris purum. ☐

De hac vero arbore in eodem dicitur libro: Recipe ex foliis lauri, calcanti sive vitrioli ana lb. i; pulverizentur insimul et cum aceto forti incorporentur. Ex quo tuas manus perungas, qua unctione facta ferrum ignitum manibus capere poteris omni lesione remota.

Et iterum in prefato libro sic ait: Si quis ex ramis arboris fraxini acceperit et cum suis coxerit foliis, omnes cimices que ibidem fuerint congregabuntur ad eam.

Recitat enim Abenvasia ☐quod sapientes nigromancie dixerunt quod lac arborum et earum pinguedo et olea earundem – omnia predicta cuiuscumque arboris existant, si ipsis verbis et operibus operatur, leviter virtutem spiritus et opera recipiunt. Lac vero est magis dispositum omnibus aliis in receptione; quapropter sunt aliqui qui lac arboris verbis et operibus operantes ipsumque sic verbis alteratum dando alicui in potu destruunt et damnant corda sapientum et corpora.

Quidam autem ex sapientibus dixerunt quod myrtus habet potentiam opera magica extollendi dum cum aliis miscetur. Sapientes enim Caldeorum asserunt quod laboratores istius arboris ex suis radicibus in loco in quo nascuntur faciunt figuras animalium diversas, asserentes hanc esse radicem operis magice non modicam quoniam ex hoc fiunt effectus et spiritus unius hominis ad ipsam aspiciendo et ipsius proprie forme existendo, figurata et in ea similitudine posita. Et iterum dicunt quod accipiunt ex ramis istius arboris in nativitate alicuius, ex quibus ymaginem hominis vel mulieris faciunt, in ipsa scribendo illius nomen pro quo ymago predicta construitur. Et ex ipsis

aliam faciunt figuram – videlicet leonis, serpentis, scorpionis vel alterius cuiuscumque venenosi animalis – cum alia forma predicta mixtam vel super ipsam positam; et quod predicta in terminato et opportuno tempore faciunt, dum planete et stelle fixe ad predicta exequenda sunt debite situati. Ille vero pro quo ista fuerint taliter operata illico infirmabitur et ab aliquo demone crudeliter affligi videbitur, sensum amittendo et alias infirmitates consequendo diversas.

Et in eodem Agriculture Caldeorum reperitur libro quod hec arbor se ipsam collaudat super alias arbores, dicendo: ☉Ego arbor auri, meusque color assimilatur eidem; et per me liberantur homines ex xcvi infirmitatibus et curantur. Meumque oleum cor fortificat, gingivas abstergit; et ex ipso spiritus letatur; et non est aliud oleum hoc faciens preter meum. Ego sum arbor benedicta. Quicumque ex meis ramis vel foliis vel fructu acceperit et in sua posuerit <domo> non pacietur malam miseriam nec cogitationes tristes, et per totum ipsius anni circulum cum tota sua societate intrepidus vivet et alacer.

Ego insuper sum arbor benedicta; nam qui me mane oriente Sole aspexerit in suisque manibus me secum portaverit ipso die letabitur et gaudebit. Ego enim sum arbor Saturni, planete ponderosi; ego sum arbor nominis maioris et magni Saturni; ego sum arbor qua tristantes gaudent; ego sum que ab infortunato removeo infortunam; ego sum qua deserta populantur loca, et per me clima de Feniz et Nigrorum fecundatur. Ego habeo ex diebus primum, et ex planetis alciorem et magis honoratum, et ex civitatibus antiquiores, et ex castris forciora et durabiliora, et ex fluminibus maiora et longiora, et ex ventibus frigidiores, et ex partibus clariores, et ex celis alcius, et ex arboribus longiores, et ex qualitatibus nobiliorem obtineo, et ex reliquis alciorem.

Post hoc autem quidam sapiens nomine Zeherith, ☉qui fuit unus ex tribus Librum agriculture Caldee componentibus, sic ait: Si quis die primo mensis lunaris et hora prima eiusdem diei ramos cum foliis viridibus et absque aliquo folio croceo olivarum acceperit, quos ad domum suam portaverit, et ipsos usque ad principium subsequenti Lune reservaverit, in primo vero sequenti Lune alios ut primitus acceperit ramos ad suamque domum ut prius apportaverit, quos reservaverit in loco ubi sunt primi, tunc vero primos accipiat et ipsos comburens, se ex calore predictorum carbonum calefaciendo, retrahetur ab omnibus malis et impedimentis Saturni, ab ipsisque totaliter liberabitur, et alacer in suo spiritu in suisque qualitatibus fiet continue et gaudens, et numquam tristabitur nec condoletur, et in suis effectibus lucrabitur, et fortunatus existet, et erit boni esse nec nisi in senectute morietur. Et iterum ait: Si quis ramis olivarum supradictis palmarum ramos miscuerit ut prediximus operando, cuncti in domo illa morantes in eorum corporibus usque ad mortem sani existent, et ab eis infirmitates frigide cuncte recedent; et eorum lumen et visus oculorum augmentabitur si omni die supradictos ramos intuerit.

Quisquis ex ossibus olive novem acceperit, et ipsa purgaverit ab omni exteriori sordicie, eaque perforaverit, et infilans ipsa filo serico nigro et forti suspenderit ea cum dicto filo ad collum cuiuslibet animalis, tale animal nil timebit in nocte eciam solum permeando, et erit alacre, et placabile fiet hominibus. Quod si aliquis homo fuerit timidus, portans ad collum supradicta, ab eodem timor recedet; quod si fuerit bivosus, extollentur bave et boni fient solacii; quod si male fuerit cogitacionis, talia ab eo fugient et bone cogitaciones in omnibus existent.

Si quis ex predictis ossibus ab omnibus exterioribus succidatibus et pinguedine nitidis numero novem acceperit, que tenens in manu aspiciat Solem cum ipse oritur mane, et unum post aliud recte sicut tenet faciem proiecerit, et dum fecerit ista dicat: O tu Sol! Habeas pietatem mei, et me ab hac infirmitate qua pacior libera. Hoc autem sepcies cum xlix ex prelibatis granis faciat; et ab illa infirmitate liberabitur omnino quamvis illa infirmitas fuerit duratura.

Si volueris ut quis iratus ab ira quam habet erga te liberetur, accipe ex predictis ossibus bene mundatis ut supra numero <c>xvii, que cum aqua calida optime abluantur et post modicum cum frigida, et cum panno nitido et pulchro peroptime tergantur; et postea ungas ea cum oleo olivarum. Deinde aptabis ea in tua manica sinistra. Et erigas te super fluvium currentem, aquam respiciendo, et dicas: O tu aqua currens que igni comburenti contraria existis! Iram talis erga me mitiga, et remove ab eo malam voluntatem quam habet erga me, et taliter me ipsum pacifica ut totaliter me diligat et amet. Et cum hoc feceris, unum ex predictis granis in medio aquarum currencium proice; et hec verba <c>xvii vicibus dicas, et in unaquaque unum ex predictis granis proice. Et cum sic perfeceris, ira illius quam erga te gerit recedet ab eodem; eciam si magni regis aut magni alterius cuiuscumque domini fuerit ira, pacificabitur et te diliget et recipiet honorate.

Si quis aliquod vas cristallinum aut vitreum album clarum acceperit, implensque ipsum oleo olivarum bono et claro <et> eum omni mane ieiuno stomacho posuerit ad Solem, aspiciens continue suam umbram illudque oleum intuendo, vigorabitur eius visus, et cuncte ab eius visu et oculis infirmitates recedent, et in suo corde et voluntate congratulabitur, et a cunctis ipsum videntibus amabitur et recipietur peroptime.

Si quis herbam malvavisti floridam sepeliverit, circumdando ipsamque continue atque ipsius flores intuendo, tristicie et male voluntates maleque cogitationes ab eius corde tollentur, et recipietur peroptime.

Si volueris ut fons aque vive, cum eidem minuerit aqua, ipsam recuperet, facias ut infra. Puella enim virgo, parva et formosa, pergat ad dictum fontem secum trumbam deferens, stansque supra conductum aque incipiat suaviter pulsare trumbam; et ita pulsando vadat per tres horas. In principio vero quarte hore alia virgo pulchra et formosa ibidem veniens [et] secum deferat tamburum, quod pulsando primam vadat sequendo et eciam sonum trumbe cum suo tamburo similem faciendo. Et hoc per spacium vi horarum faciant; erunt enim novem hore in summa, in quarum fine in fonte illo augmentabitur aqua. Et sic in eodem die vel saltem tercio die fons aptabitur ille.

Et iterum subdit: Puella vero virgines et formose pannis diversorum colorum indute diversaque instrumenta deferentes (et quelibet cum suo instrumento) ante oculum cantando vadant et pulsando. Postea circa fontis oculum per cubitos duo vadant vel faciendo. Deinde per xxi cubitorum spacium, una sequens aliam, pulsando pergant et cantando retrocedant. Postea ad circumcirca fontis oculum revertantur ut prius. Et ita retrocedendo et antecedendo ad fontem, videlicet pulsando et cantando ut dictum est, operentur. Cum vero ista sic peracta fuerint, eiusdem fontis aqua illo aut sequenti die augmentabitur ibidem.

Si quis vero acceperit folia malvavisti que bene pistata cum oleo olivarum incorporaverit unxeritque manus eius et corpus, si manus inter apes aut vespas posuerit, eum non percucient et non nocebunt eidem nec aliquid malum

inferent.

Si quis voluerit pulices extinguere, accipiat album plumbum, calcem vivam et radices cucumerum amarorum, quibus optime pistatis parum asse fetide addat; et omnia cum <aqua> distemperet et parum salis misceat cum eis. Si ex hac mixtura domum asperseris, ibidem morantes cuncte pulices extinguentur.

Ad vinum aptandum. Recipe cicera que olivarum oleo ungas, et coque ea; postea ipsa pistare valde bene, et mediam libram ex eis proice in vinum quod ad acredinem tendit; nam sapor ille in die uno naturali a dicto vino recedet.

Ad auferendam tristitiam. Recipe cicera que ad lumen Lune de nocte, ipsa crescente lumine, pone; mane vero ante Solis ortum unge ea cum oleo olivarum, et mitte ipsa in aqua ad mollificandum per spacium duarum horarum. Deinde coque ea. Et cui dederis ad comedendum ex eis, ab eodem tristicie, male voluntates maleque cogitationes et omne genus melancolie recedent, et virtute altissimi cor eius gaudebit, et fiet congratulans et in omnibus alacer.

Cum nubes similes ut grandinem deferant apparuerint, et voluerit quis suas messes a tempestate grandinis defendere, secum quamplures habeat socios, quorum ex eis quedam pars in manibus bombicem deferant et quidam nihil portantes ad campum ipsius vadant et versus nubem paulatim bombicem proiciant; alii autem qui sine bombice sunt percuciendo manus et palmas vadant. Omnes vero alta voce sicut faciunt agriculatores cum volunt aves et malas fugare bestias pergant clamantes; hoc sepiissime faciant. Memento autem quod ipsi debent esse pari numero, et quanto plures fuerint tanto melius. Expertum est et varissimum inventum.

Recipe de puro calibe (quod est ferrum andanicum), ex quo speculum facias optime politum. Et versus nubem vadas, predictum speculum in tuis manibus deferendo et versus nubem elevando, vocem fortiter emittendo; et sic ab eodem loco tempestas recedet.

In libro quodam a sapiente Geber edito ad tempestatem et quamplura alia faciendum inveni sic scriptum. Facias enim speculum ex auro vel argento deaurato, quod suffumigabis cum capillis de pectine mulieris, ungesque illud cum semine tuo; deinde suffumiga illud cum capillis vestimentorum ipsius. Et te ablutum aspicias in eo; et facias quod in illo speculo appareat sua forma, deinde tua sine aliquo medio, vel primo tua, postea sua. Et istud experimentum est cuiusdam qui Ptolomeus de Bebil vocabatur; et invenerunt illud tres sapientes Indi de Egipto, et probaverunt quod tale speculum fieri debeat Luna coniunctionaliter existente cum Iove, et deaurare vel forbire dum Luna fuerit cum Venere. Sed volo tibi dicere speculi compositionem, et qualiter operetur et custodiatur, idcirco quia omnes nature hominis intrant in eo. Tempera enim speculum cum sanguine vivo et naturali; deinde suffumiga eum; deinde scribe in eo nomina septem stellarum, septem figuras earum et nomina septem angelorum et septem ventorum. Nomina autem septem stellarum sunt hec: Zohal, Musteri, Marrech, Xemz, Zohara, Hotarid, Alchamar. Et scribantur in circuitu eiusdem limbi figure iste:

Ⲛ Ⲙ ⲙ ⲛ Ⲝ ⲝ Ⲟ ⲟ

et iste sint in girum. Deinde scribantur intus circulum politum deauratum nomina istorum septem angelorum: Captiel, Satquiel, Samael, Raphael, Anael, Michael, Gabriel. Hoc facto, scribantur nomina septem ventorum in parte non polita; et sunt

venti potestatum, quorum nomina sunt hec: Barchia, Bethel almoda, Hamar benabis, Zobia marrach, Fide arrach, Samores maymon Aczabi. Deinde suspende speculum in sarza per vii dies super aquam, et suffumiga illud; et sit in virga rubi suspensum. Et per tres noctes suffumiga illud cum bonis odoribus – melioribus tamen qui valeant inveniri in libro Moysi. Et si in isto speculo inspexeris et bene custodieris eum, scias quod per illud congregabis homines, ventos, spiritus, demones, mortuos atque vivos; et omnes tibi obedient et ad tuum erunt mandatum. Et facias tuum opus ita ut in suffumigacione sint ex septem proprietatibus hominis, scilicet sanguis, sperma, sputum, cerumen auris, lacrimae oculorum, stercus, urina. Cum istis enim suffumiga, et precipe ventis quibus volueris; et tuam facient voluntatem. Custodias hoc, et totum illud intelligas quod tibi dixi; nam potens eris super ventos, homines et demones, et facies quod volueris. Cum fueris ablutus et mundus, voca eos; et venient tibi obedientes. Et hoc fiat super pelvim aqua plenam vel super vas aliquod mundum, plenum aqua. Et ibi videbis; et complebitur quod quesivisti. Sapiens vero quem alias nominavimus (scilicet Zeherith) xix infrascripta recitat experimenta. Et primo ad defendendum vineas a malis occasionibus. Accipe tabulam marmoream vel ligneam, et in ipsa figuras vitis et uvarum facias – et hoc a xxii die mensis Octobris usque ad quartum Decembris (videlicet, a quocumque die volueris ex predictis); quam tabulam sic peractam in medio vinee ponas. Hec vero ymago est probata ad defendendum vineas ab occasione.

Ad fugandum animalia ex vineis ledencia. Recipe stercoris canis nigri, stercoris lupi ana. Misceantur cum urina hominis, in qua per septem dies morentur; in quarum fine aspergas cum eadem quam volueris vineam. Et non ingrediatur ibidem aliquod animal nocivum, quemadmodum sunt ursi, lupi, vulpes, colubri et cetera. Predicta vero facias per tres dies continuos successive. Ad fugandum serpentes. Recipe lignum de tartago et suffumiga cum eo locum in quo serpentes sunt coadunati; et statim fugabuntur ab eodem.

Ad idem. Recipe armoniaci, gummi de assa ana 3 i, aceti vini fortissimi, quod quidem acetum bulliat ad ignem; et in bulliando predictae gumme liquefiant quousque optime misceantur. Et deinde supra ipsum pone pulverem cornu cervi; et omnia optime misceantur quousque incorporentur insimul. Et postea extrahantur et fiant trocisci, quos in vase vitreo usui reservabis. Et cum volueris fugare serpentes cuiuscumque maneriei existant, suffumiga locum quem purificare volueris cum dictis trociscis vel aliquo ipsorum; et habebis intentum.

Ad fugandum reptilia et mures. Recipe xenab, cornu cervinum, axenus et unguam leopardi. Pulverizentur omnia et misceantur cum aceto vini fortissimo; distemperentur et omnia insimul decoquantur usque ad instar spissitudinis oximellis. Deinde admisceatur eisdem pulvis foliorum malorum granatorum. Et ex eis fiant pillule, quas usui in vase vitreo reservabis. Et cum opus fuerit, suffumiga locum cum eisdem; et depurabitur ab eis.

Ad necandum mures. Recipe litargiri, ceruse partes equales. Pulverizentur omnia. Et quartam partem unius predictorum farine eis addas; et omnia insimul cum modico olei incorporentur. Et fiant pillule, quas perungas cum caseo veteri plurium annorum et optimi odoris. Ipsasque ponas in loco quo

mures consueti sunt venire; omnes vero comedentes ex eis breviter morientur.

Ad idem. Recipe vas ereum, in quo feces olei pones, in quo elleborum nigrum sit admixtum; ipsum quoque vas in domo qua mures venire sunt assueti situabis. Odore olei venient ad eundem; et cum ex ipso oleo modicum sumpserint, subito cadent velut inebriati.

Ad interficiendum scorpiones. Recipe folia ravani, que supra scorpiones ponas; mordent se quousque morientur.

Ut amans oblivioni tradat amatricem. Recipe fabas Luna in quavis domorum Saturni existente, quas per diem et noctem in vino ad mollificandum ponas; deinde cum eodem vino coquantur. Que cum cocte fuerint, dentur amanti ad comedendum; et obliviscetur amatricem.

Ut vespe vel apes te non ledant. Recipe radices asparagi siccas et pulverizatas, et cum oleo de sisamo misceantur. Cum quo manus tuas ungas et pedes; postea securus ingrediaris locum quia ibidem stare poteris eorum lesione remota.

Venenum mortiferum. Recipe succum herbe que in partibus reperitur Armenie, cuius folia sunt similia palmarum foliis salvo tamen quod sunt subtiliora, cum quo acumina lancearum vel alterius cuiuscumque ferri si unxeris et si ex eis aliquem vulnerando percusseris, in illo die vel saltem sequenti morietur. Cura. Recipe stercus humanum viride vel siccum. Si enim viride sumpseris, da ei in potu 3 ii cum oleo rosaceo vel violaceo vel communi admixto; ex hac pocione solummodo evadere poterit ab eodem. Si vero siccum susceperis, da ei 3 iiii in potu cum tantumdem rosarum siccatarum. Et ut recolligo, credo hanc herbam esse alcondiz, quia ex suo succo fit venenum mortiferum dum involvitur ferrum in ipsum, cum quo sanguis vulnerando effunditur.

Aliud venenum mortiferum. Si quis susceperit napellum ad pondus unius grani, morietur infra quatuor horas omni remedio postposito preterquam stercus hominis viride assumptum in potu. Et scias quod stercus humanum generaliter subvenit omnibus venenis, tam viride quam siccum, nisi percussione aspidis surde, que non sanantur simpliciter ab eodem. Imo oportet ut in percussione ponatur emplastrum ravanorum optime conquassatorum; et sedabitur dolor.

Tyriaca ad omne venenum. Recipe ligni lauri 3 iii, eiusdem foliorum 3 vii, et eius fructus 3 ii. Siccentur et optime pulverizentur; et eisdem addatur stercoris hominis 3 vi. Misceantur omnia, et cum melle et cera incorporentur; nec oportet eo plus pondere predicto. Predicta autem confectio in vase aureo vel argenteo conservetur. Est enim universalis tyriaca ad omnia venena, et prohibet insuper caniciem capillorum. Si posueris in domo qua infans timorosus nutritur ramum lauri, et super eius cunabulum, liberabitur a timore.

Si plantabis arborem lauri in domo qua volueris, predicta removebuntur ab eadem, et habitantes in ea erunt leti, gaudentes, bonarum indolum, proprietate arboris predictae.

Semen lolii damnificat caput et oculos tenebrari facit et eciam visum aufert et facit dormire. Et aliqui maledicti accipiunt seminis lolii, croci, olibani et fecis vini partes equales; et ex ista confectione si quis biberit, dormiet, et eius lingua taliter arescit quod non valet loqui, nec se erigere potest. Si vero istis

rebus addantur alie quatuor, que sunt iste: scilicet, mandragora, semen lactuce silvestris, papaveris nigri et semen iusquiami, cuicumque ex istis compositis dederis, inebriabitur et sensum amittet totusque erit mente alienatus. Abenvasia enim loquens in predictis precepit ut hec confectio sit secreta nec alicui homini malo reveletur.

Hic enim in Agricultura Caldea loquens de quadam herba dixit quod in ipsa multe proprietates mirabiles existunt – videlicet, quod ☞si ex ea manipulum unum posueris in pelvi et in ipsa posueris serpentes, elevabuntur in altum super caudas eorum ac si saltare vellent; quod ☞si hanc herbam iuxta speculum posueris stando ad Solem, comburetur.

Ad sanandum morpheam. Cum Sol oritur, accipe in principio morphee fabas quantumcumque poteris cum manu, et dicas: Te Solem, dominum preciosum et altum, rogo ut a me hanc morpheam auferas, et a meo corpore evanescere facias et a meo pectore vel a quocumque loco in quo fuerit. Et cum hoc dixeris, post spatulas tuas proice unum granum ex predictis; et sic predicta reiterando et proiciendo ut supra facias usque ad consumptionem fabarum. Et predicta fiant per septem dies continuos, et hoc cum Luna fuerit lumine diminuta.

Ad capiendum aves. Recipe fabas et lolium, ponanturque in vino ad humectandum per diem et noctem; postea auferantur et ponantur in loco transitus gruum, corvorum et aliarum avium ut ex eis comedere possint. Comedentes vero ex eis quasi mortui cadent ad terram.

Ad porros auferendum. Numera prius quot sunt numero, et tot cicera accipias numero. Et dum Luna iungitur Soli secundum verum motum, calefacias dicta cicera aliquantulum ad ignem. Deinde super unumquemque porrum ponas unum ex dictis ciceribus, ibi modicum dimittendo; postea eleventur ab eisdem et in panno nigro ponantur et filo ligentur. Et erigas te super locum altum, et ipsa cicera post tergum proicias; et domum revertaris absque aliqua retrogradacione versus cicera vel aspectu.

Ad separandum duos ab invicem. Grana vero cuiusdam arboris que sebestan nuncupatur multas proprietates habent in operibus nigromancie, ex quibus opera fiunt ad duos ab invicem separandos et inter eos discordiam et inimiciam etiam ponendum; cuius etenim proprietas est amicicias separandi et similiter in alterius voluntate ut mala aliis inferat generandi. Hec autem arbor lauro assimilatur. Hucusque locutus est Zeherith sapiens.

Abenvasia ☞vero recitat quod omnes Caldei tam magni quam parvi et tam viri quam mulieres in prima nocte mensis Marcii ponebant in lecto sub eorum capitibus peciam unam casei et quatuor dactilos et grana vii passularum et parum salis in panno aptatum. Et dicebant quod vetula quedam que pedissequa Veneris dicebatur nocte illa omnes in suo lecto perquirendo ibat et ipsorum ventres palpando, et sub eorum capitibus aspiciebat. Et cum eius ventrem inveniebat vacuum et sub eius capite ista non inveniebat (scilicet illam porcionem casei, dactilos nec passulas, ut dictum est supra), statim orabat Veneri ut talis homo toto illo anno infirmaretur et detrimentum in suis operibus hinc ad sequentem annum sustineret. Cuncti autem Babilonici nullo deficiente operabantur predicta.

Dixit ☞eciam quod potencia Saturni et Martis iunguntur in quodam fructu simili meloni, quod batecas nuncupatur; et eo in operibus mathematicis operatores utuntur. Iterum ait: ☞Si quis ex ipsius batecas semine in craneo hominis posuerit, et sepelierit ipsa, et terra optime cooperuerit, et ea aqua

rigaverit, ex illis citrulli nascentur. Et qui hos citrullus comederit, in suo vigore, in sua memoria, in suo intellectu augmentabitur. Et si hoc semen in craneo asini posueris, et sepelieris ea, et rigaveris aqua ut supra, nascentur ibi citrulli quos qui comederit erit insipiens, stultus, et eius vigorem, audaciam et intellectum amittet. Et in eodem libro habetur quod Caldei operantur radices istius herbe in uno et eius folia in alio necnon et fustes adhuc in alio et eius semina similiter in alio, et omnia insimul iuncta operantur etiam in alio; et sunt in ea effectus mirabiles et formosi in arte nigromantie. Et hoc quidem contingit propter eius repentem attracturam et levem receptionem naturarum rerum ipsarum positarum in eadem. Et quando miscetur in cerebro hominis, ipsam comedentis facit mirabilia. Preterea dicitur in eodem libro quod, si semen ipsius in capite et ventre alicuius animalis repositum fuerit, et ipsum vel ipsa fuerit in terra sepulta, nascentur ibi citrulli qui mirabiles facient effectus; et erunt similes effectibus animalis in cuius capite vel ventre predictum semen fuerit repositum ut supra. Et qui comederit ex illis, et cum sua natura misceantur – faciunt mirabilia in corpore comedentis.

Iterum in eodem libro habetur quod, si quis acceperit radicem unam mandragore, quam in loco coadunacionis illarum batecas sepelierit, facient ibidem mirabilia plura, que propter longitudinis tedium ad presens omitto; tamen in eodem libro plenarie continentur.

Quidam sapiens antiquorum anticipator in philosophia recitavit duodecim opera miraculosa, que ad presens dicere decrevi. Et primum est quod, si quis posuerit craneum hominis in loco in quo seminatur, et in ipso loco semen batecas seminaverit et terra cooperuerit, et hoc semen proiciatur in terra ad hoc disposita, et postea omni die cum sanguine humano cum aqua tepida mixto irrigaverit, nascentur ibidem citrulli. Cum aliquis vero ex ipsis comederit, expavescenda et alia multa mirabilia videbit.

Et iterum dixit: Si quis in sua manu acceperit ramum ceserbole, Lunam aspiciens in nocte qua oritur in prima hora noctis et erigens se in pedibus versus Lunam, verba et oraciones Lune que in hoc libro fuimus locuti dicendo et hanc coniurationem subsequentem proferendo: Iuro per te, Luna, quod si a me removebis dolorem et infirmitates dencium, quod numquam comedam ex ceserbola aliquid; deinde calefaciat ipsam ceserbolam quam manibus tenet et comedat eam. Quicumque hoc fecerit omni mense in dispositione Lune supradicta defendetur ab omni infirmitate dencium.

Ut gallus te sequatur. Recipe folia ceserbole ortensis, et unum super aliud reduplica. Et cui volueris gallo dabis in cibo tribus diebus continue – videlicet, in quolibet die tres bolos; quod opus in die Mercurii incipere debes. Hic gallus te diligit et sequetur.

Ut cuncta corpora dura mollificentur. Recipe salis alkali, galbani ana lb. x. Proiciantur in vase in quo triplum omnium amborum sit aque dulcis; et ibidem per septem dies morari permittas, in quorum fine colabis ipsam aquam cum panno. Postea accipe aquam calidam, et in eam proice tantum de alkali et galbano quantum fecisti in prima. Et ibidem per alios septem dies moretur; in fine vero coletur ut supra. Postea recipe aquam calidam, et pro quibuslibet x lb. aque mediam libram salis armoniaci ponas, atramenti 3 ii. Deinde ponantur omnia ad ignem mansuetum vel ad Solem bene calidum; ibidem per x dies dimittatur, et per totam diem unam integram decoquatur; postea coletur, et factum est. Si vero in ipsa posueris ossa vel cornua, lapides vel quodcumque corpus metallinum durum, et ibidem ad Solem calefacientem stare permiseris,

semper cum lamina plumbea cooperta, mollificabuntur ut pasta. Ad idem. Recipe acrum cedrorum quod misceatur cum vino acri rubeo; et insimul peroptime misceantur quousque incorporentur in unum. Et pro qualibet libra eiusdem ponatur salis armoniaci, spume maris pulverizatorum ana 3 iii; misceantur optime, et per tres dies dimittantur ad Solem, omni die miscendo. Cum autem predicta feceris hoc modo, ponas in eo quod corpus volueris durum; et efficietur taliter molle ut operari poteris ad libitum. Ad idem. Supradictus eciam sapiens dixit quod sulfur corpora mollificat metallina; et eius opus est mirabile in cunctis lapidibus et metallis.

Ad risum copiose provocandum. Da croci pulverizati 3 x cui volueris in potu; et statim risum perniciosum incurret quod finaliter morietur. Herba vero leonis omnes arbores et herbas circa eam existentes damnificat; nec arbor ulla nec aliqua herba vigere potest in loco in quo nascitur herba leonis. Et nemo ipsam valet evellere nisi isto modo. Puella enim virgo accedat ad ipsam, gallum album cristam scissam habentem secum in manibus deferens; et locum circuiens ubi hec reperitur herba faciat gallum semetipsum cum alis percucere. Nam ex tali percussione siccabitur herba illa. Si ad locum ubi fuerit spica nardi accesserit aliquis gattus ipsiusque spice sciens odorem non recedet inde, sed ibi ipsam querendo et quantum valebit fortiter vociferando – hoc autem est unum ex mirabilibus herbarum et locorum apparentibus.

Nonnulla loca proprietates habent diversas, videlicet arborum et animalium specialiter attributas que ubique minime reperiuntur, ut apparet in balsamo qui in Egipto solummodo reperitur, et ebanus qui in insula de Huac tantum nec alibi nascitur, et arbor que arbor Nigrorum appellatur <et> nonnisi in terra Nigrorum habetur, et arbor ducens olibanum que in campo de Hamen invenitur, et arbor muse <que> nonnisi in terra occidentis reperitur, et quamplura alia que sunt in quibusdam partibus et in quibusdam non, videlicet prout sunt eisdem appropriate. Nam terrarum proprietates et locorum sunt ex conveniencia aque et aeris; sed prima causa omnium istorum est in linea celi super ipsa loca transeunte et ex vigore stellarum ibidem manencium. Nam ex vigore et natura stellarum existencium in illa linea ibidem animalium et arborum fit productio que in aliis partibus fieri non potest.

In mari vero occidentis est quedam insula vocata Cadiz, in qua quedam herba in tempore veris nascitur; et armenta illius insule illam herbam comedunt. Si quis enim lac illorum armentorum biberit, inebriabitur ac si esset vinum; et ita congratulantur ex illo lacte sicut ex vino.

Et in Francia quedam invenitur arbor sub qua si quis per spacium medie hore steterit, monetur; et si quis eam tangit aut aliquid ex ea acceperit, morietur statim.

Item in Francia ex parte meridiei quedam arbor parva reperitur, et est magnitudinis caulium; folia autem eius foliis rute assimilantur. Si quis vero acceperit radicem cum ramis et foliis eiusdem arboris, quos in aqua frigida poneret ibique eos dimitteret per horam, talis aqua efficitur calida ac si staret ad ignem; et cum elevatur inde, statim ut prius est frigida.

Reperitur enim in Indie partibus quedam arbor que nullo modo comburitur igne. Ibi que alia invenitur arbor; quod si ex ea unum ramum acceperis quem poneres in terra, movebitur ac si esset serpens.

Et ibidem alia arbor reperitur ex qua tempore veris et autumnus audiuntur

voces vocibus hominum similes, que ab ipsis arboribus emanantur, quarum radices in formis hominum inveniuntur.

In terra de Bequien est quedam arbor de nocte lucens ut candela.

Dixit insuper quod costus qui in partibus Indie invenitur omnibus aliis magis redolet; et est suffumigacio ad ymagine in domibus suarum operacionum. Caldei enim dicunt quod hoc est melius omnibus aliis ad sacrificium et suffumigacionem coram ymaginibus Veneris; et de ipso multum in suis ymaginibus operantur. Hanc arborem invenit Zeherith sapiens in Libro agriculture Caldeorum. Et dixit quod una pars Caldeorum cum hac herba miscebant muscatum, ilicem, storacem humidum et siccum, flores rosarum et myrtum necnon et thus; et omnia miscebant cum croco. Et cum ea suffumigabant eorum vestimenta, ymagine et vultus in suis pascalibus diebus, asserentes quod odor istius suffumigacionis omnes infirmitates damnat et impedimenta deviat ab eis.

Preterea dixerunt quod suffumigacio arboris mirre sive ramorum eius prohibet epidimiam. Iterum asseriebant quod faciebant suffumigacionem ex ligno arboris predictae necnon et eius gummi, quibus addebant incorporando incensum, muscatum, ilicem et storacem, dicentes quod hec suffumigacio suscipiebatur a Venere graciose. Et quando hanc suffumigacionem cum sacrificiis Veneris comburebant [et eius oraciones et coniuraciones] coram eius libro et ymagine quemadmodum diximus in hoc libro, eorum instrumenta pulsando, deinde coniuraciones Veneris supradictas dicendo, petebant a Venere quicquid volebant. Hoc autem opus recipiebatur a Venere ipsorum petitiones adimplendo. Predicta vero non faciebant nisi Venere libera ab aliis planetis et in sui potencia et virtute taliter ut ab aliquo non impediretur et maxime ab aspectibus et coniunctione Mercurii, quoniam inter cetera Veneris impedimenta coniunctio Mercurii vel aspectus suprema obtinet loca. Ait Zeherith sapiens quod addicio croci et costi in predicta suffumigacione addunt potenciam eidem; et leviter concluditur opus.

Preterea decrevimus in hoc nostro libro de mirabilibus arborum enarrare quia plante sunt una pars istius inferioris mundi elementati generacioni et corrupcioni obedientis. Generacio tamen et corruptio dividitur in tres partes, videlicet in animalia, plantas et mineras. Plante vero sunt medie inter animalia et mineras quoniam plante conveniunt cum animalibus in vivendo et crescendo et generando et cum mineris in corporeitate et insensibilitate.

Tamen ipse plante magis profectuose sunt humane vite quam ipsis animalibus et mineris. Ea vero que ad vitam et sanitatem hominis ex plantis sunt semina, radices, fustes, cortices, folia, flores et fructus; et iterum hominibus prosunt minere qui accipiunt ex eis salem, alumen, lapides et metalla; ex animalibus quidem utuntur carnibus, sepo, ossibus, sanguine et aliis corporum animalium competentibus eisdem. Manifestum est igitur quod plante circa homines propinquiores sunt mineris situate; ex quibus sunt arbores que in bonitate excedunt alias, odore, proprietate vel proficuo vel aliqua alia re. Et patet similiter in mineris, videlicet in lapidibus preciosis qui aliis lapidibus excellenciores reputantur, et idem in metallis quibus omnibus prevalet aurum. Tamen nobilius et magis preciatum omnium corruptibilium est idem animal rationale, videlicet homo, cui eius sensu et industria omnia sunt submissa tamquam ad finem. Hic vero mundus elementatus est propter elementa; et elementa sunt natura; et natura est spiritus; et spiritus est intellectus; et intellectus est ipse Deus a quo totum celum et natura dependet. Qui sit

benedictus per infinita secula seculorum. Amen.

Capitulum octavum. De virtutibus aliquarum rerum que ex sua propria faciunt natura.

In hac vero parte recitabimus proprietates mirabiles rerum simplicium tam arborum, animalium quam minerarum.

Et primo de lapide smaragdi, qui, quando inspicitur a bitoris capita ad similitudinem mustelle habentibus, oculos subito amittunt. Preterea quando serpentes in oculis paciuntur, ducunt eorum oculos super feniculum; et statim sanantur. Aquile portant lapidem adamantis in loco generacionis filiorum ut ipsi filii a serpentibus tueantur. Et quando ursi vident oculos muris, statim fugiunt ab eo.

Quando ossa upupe proiciuntur in aquam calidam, pars eorum in fundum descendit et alia in summo aque consistit.

Et quando moritur bubo, unus oculorum eius remanet apertus, alter vero clausus. Si vero clausum super aliquem posueris, dormiet et numquam a somno excitabitur dum steterit super ipsum; quod si apertum super aliquem posueris, numquam dormiet quousque auferatur ab eo. Et si arteticus supra se manus vulturis posuerit, liberabitur a gutta – videlicet hoc modo: si gutta fuerit a parte dextra, supra se ponat manum vulturis dextram; et eodem modo faciat de sinistra.

Et in terra de Horazen reperitur lapis albus valde nominatus assiffe, qui limari non potest. Hic vero lapis dum supra stomachum alicuius positus fuerit sanat infirmitates stomachi cuiuscumque maneriei existant.

Et in fluvio Algeriche nascuntur lapides albi, pardi, nigri et mixti, qui si ad invicem confricentur, in ipsum fluvium pluviam provocant que numquam cessabit quamdiu insimul confricantur. Qua de causa nemo potest dictum fluvium sive eius glaream de nocte ingredi propter fricacionem lapidum, ad quorum fricacionem pluvia emanatur ut supra; et in nocte visu eos percipere non valeamus.

Et [si] lapis aquilinus qui sonat intus dum movetur ac si intra ipsum alius esset lapis inclusus, et intus dum frangitur nihil reperitur, et quelibet ipsius pars sonat ut supra. Hic lapis est colore rubeus sicut terra de Cabros. Cuius autem virtus mirabilis est parturientibus; quem si mulier paritura acceperit, pariet statim sine periculo et cum modico dolore.

Et est quoddam animal ad magnitudinem vulpis et simile gatte in forma et aspectu. Hoc vero animal extinguit ignem sua frigiditate, nec leditur nec comburitur ab eodem. Palatus strucii non comburitur igne nec eius stomachus in quo ferrum calidum subintrat; imo ferrum in ipsius digeritur stomacho nec ei damnum aliquod infert – etiam ab ipso nutritur. Si acceperis omnes pennas cuiuscumque volueris avis, et ex ipsis unum magnum conficeretur corpus, tale corpus si super pannum aliquem vel manum fricaveris, quodcumque corpus decenti quantitate tetigeris trahet ipsum ad se et eum suspendet a terra. Invenitur enim quidam lapis nomine behet, cuius color colori marchasite assimilatur; tamen formose relucet. Quem si aliquis semel viderit, usque ad mortem in continuo risu permanebit; nec aliquod reperitur remedium quo possit a tali risu sanari. Insuper reperitur quedam avis alphersit nuncupata. Et est magnitudinis passeris, et est nigra; tamen collum et tibiae rubeas habet. Cum autem hec avis supradictum lapidem ascenderit, suam lapidem amittit

virtutem; quod si post hoc aliquis eum viderit, non nocebit eidem.

Arbor vero favine grossum fustem facit; et cum frangitur, inveniunt ipsum durum. Quod si hoc fustem super demoniacum posueris, liberabitur a demone; et ipsius fustis odore demon recedet ab eo.

Si ante serpentes cornu cervinum concremaveris, eius morietur odore. Ex odore cumini moriuntur formice. Ab odore croci fugiunt scorpiones, nec in loco ubi fuerit poterunt permanere. Odorem calcis fugiunt pulices; et etiam fugiunt a sale calido dum ipsum posueris in domo. Et si cum policaria suffumigaveris, cimices statim fugiunt.

In lacunis aquarum reperitur alga que non comburitur igne. Hec autem herba similis est herbe viridi; tamen non est illa. Et lenticula stagni nuncupatur. Et fustis de iniube cum comburitur non lucet nec flammam facit. Et vultur ad locum filiorum folia de alexinz portat ut a nocumentis animalium custodiatur.

Lapis vero atarac est ex rebus que non separantur, et est lapis qui numquam frangitur; aut magnus aut parvus existat. Et si obolos cuiusdam lapidis algemest in vase vini posueris, si quis ex illo vase biberit, numquam nebriabitur, nec ei vinum nocebit. Si autem posueris in aliquo vase obolos cuiusdam lapidis atambari dicti, quicquid in illo vase cuiuscumque maneriei potacionis existat potans inebriabitur, sensum et intellectum amittet fietque cogitans et tristis. Lapis vero magnetis attrahit ferrum. Quod si ipsum cum allio unxeris, amittet virtutem; post quod si eum posueris in sanguine arietis, virtutem recuperabit.

In flumine de Cerich reperitur quedam species serpentum. Quod si aliquis homo aliquem viderit ex ipsis, morietur homo ille; quod si serpens semetipsum viderit, morietur ipse.

Si posueris porcum supra asinum et asinus minxerit sui ipsius casu, statim morietur porcus.

Cum autem apparuerit grando, si aliqua mulier habens menstruum se proiecerit in terram reversa, tota discooperta, tibias suas versus nubem elevando, circa eam grando non cadet in illo campo sive messe.

Si vero aliquis canis supra montem aut locum ascenderit altum, et sub eo quoddam animal addabum nominatum transiverit, amborumque umbre insimul se obviaverint, cadet canis quoniam ipsum animal interficiet.

Si quartanarius se assedaverit supra corium lupi, sanabitur a quartana.

Et si 15 figuras supra mulierem parturientem posueris, leviter et sine periculo pariet. Et si supra quartanarium nucem muscatum posuerit, sanabitur a quartana.

Si supra aliquam arborem stercus posueris elephantis, fructus non producet arbor illa dum stercus supra ipsam permanserit. Quod si dictum stercus posueris supra mulierem, numquam impregnabitur.

Lapis vero qui aquam croceam ab ydropico attrahit cum ipsam ab ipso attraxerit, suam virtutem lapis amittet et devastatur ipse.

Cum lapide vero ligia dicto argentum vivum congelatur et fit unum corpus.

Si telam araneam supra quartanarium posueris, ipsum sanat spacio alicuius temporis. Quod si cum ipsa tela cantarides immiscueris, sanatur eger ex toto.

Colubri vero et bivore cum audiunt vocem strucii ab ipsorum locis fugiunt.

Cum autem <...> cum argento extracto ab ere et ab ipso purgato miscueris et ex eis loca avium percusseris, aves inde recedere non poterunt et taliter capientur.

Si cum fronte leporis marini aliquas tetigeris comes, tote in minutissimis obolis ac si pistate fuerint convertentur. Si in stercore muris ponitur aurum, comburitur quemadmodum fit cum plumbo; et cum sic combustum fuerit et in pulverem redactum, si ipsum in stercore gatti posueris, ad suum pristinum esse revertitur et funditur. Cum autem miscetur aurum cum quocumque vis corpore, vastatur. Et si ipsum cum marchasita et sulfure posueris ad fundendum solummodo, aurum purificat et affinat.

Et dehenc aurum mollificat. Et si ipsum cum eo posueris ad fundendum, suam combustionem aufert ab ipso. Quod si cum eo posueris attincar, melius erit in suo effectu. Et si cum succo foliorum de los quipos extinguitur aurum, sophisticum pluries successive aptabitur, pristinam infirmitatem amittendo; tamen sal eius auget ruborem. Cum posueris argentum supra fumum sulfuris, denigratur; et cum ipsum posueris in sale, talem nigredinem amittit et fit album.

Anoxatir autem proprietatem habet ab omnibus corporibus omnia succida in interiori et exteriori existencia trahendi. Nitrum vero omnia corpora a succiditatibus lavat; et in suis superficiebus clarescunt. Si cum auro lapidem azuri miscueris, in sua pulchritudine et claritate augmentatur aurum. Et si super ignem ipsum posueris, lapis azuri in flammam convertitur et recedit; et datur infirmitatibus oculorum. Cum marchasita in sulfure comburitur, in opere maiori subintrat; et fit ex ea materia operis. Et almagnicies in suo corpore mixturam habet plumbi; et absque ipsa opus vitri non completur. Tucia vero es rubeum in auri tingit colorem; et eciam ab oculis succiditatem aufert et ipsos ab omni infirmitate humida liberat. Et melior omnibus est tucia alba. Cum fricaveris dentes et gingivas cum pulvere cristalli, dentes firmantur et gingive a corrosione liberantur.

Cinis cancrorum marinorum combustorum dolorem oculi aufert et eorum fortificat visum. Si splenem cameli comederit canis, statim morietur. Et si super apostema gule stercus pulverizatum canis comedentis ossa posueris, ipsum dissolvit apostema; et statim sanatur. Si vero scutum testudinis femine posueris supra ollam, numquam olla fervebit.

Arboris enim gebore duplex est maneries, scilicet masculina et feminina. Si autem ex feminina alicui mulieri dederis in potu 3 v, magnum appetitum cum homine iacendi habebit; et idem faciet vir si ex masculina tantumdem tribueris eidem in potu vel cibo. Et fortissime irritabit; nec ab irritacione desistere poterit nisi ei 3 ii spodii dederis in potu. Quod si alicui flores huius arboris dederis in potu, continue desubtus ventositatem proiciet, nec cessabit dum in stomacho residebit. Et is alicui homini florem huius arboris feminine in potu cum vino tribueris, dormiet triduo absque excitacione; quem si excitare volueris, des ei aquam calidam bibere cum oleo olivarum. Si autem pistantur folia huius arboris et cum aqua sulfuris distemperentur, sanat vulnera in una die si super ipsa ponatur.

Et si cum corio huius arboris serpens aut scorpio alligatur, moritur statim. Sal enim valet percussioni scorpionis, vespe et serpentis. Portulaca vero uno die post alterum comesta sanguinem restringit; et statim morsuram sanat ipsam crudam vel coctam masticando.

Si aries viderit leonem, ibidem scitum naturali morietur morte.

Et tarantula cum viderit scorpionem moritur; et moritur serpens cum viderit bubonem.

Si quis acceperit annulum azari aut lapidis de alaquech in quo has xxvi

sculpsit figuras, in suoque digito cum intraverit ad regem vel aliquem nobilem hominem portaverit, optime recipietur et bene, et quicquid ab eo vel ab eis petierit complebitur cum effectu. Sed optime advertas ut in his figuris nullo modo falles; quod si aliquid fefellerit in eis, nil operaretur effectu. Hoc autem est unum ex mirabilibus huius artis. Et he sunt figure:



He autem figure invente sunt in libro Folopedre regine.

Et si hunc posueris annulum super percussione tarantule et postea balnearet cum isto epithima hominis, statim sanatur. Si cum foliis herbe yembut vocate percussione a tarantula factam una vice post aliam fricaveris, sanatur in instanti. Catran autem cum sale mixtum sanat vulnus a serpente factum. Si vir aliquis suam virgam cum catran unxerit et cum muliere iacuerit, non concipiet. Avellane comeste percussione tarantule sanant; dum aliquis avellanam secum portaverit, non ledetur a percussione tarantule. Si a cane rabioso quis percussus fuerit, amigdalam amaram masticatam supra vulnus posuerit et comederit ex eis, ab ipsius liberabitur morsura. Si herbam abrotanum vocatam super percussione bivorarum posueris, sanatur in instanti; cuius vero succus si per domum aspergatur, pulices rabiantur; que si in dictum succum cadunt, moriuntur.

Si tarantulas combusseris, quarum cinerem cum pane miscueris et dederis infirmitatem lapidis patienti, frangetur lapis, et sanabitur ille homo. Farina seminis herbe que vocatur vecia cum lacte mixta percussione canis rabiosi sanat si ponatur super eam.

Capitulum nonum. De ymaginibus que virtutes faciunt mirabiles; et fuerunt invente in libro qui fuit inventus in ecclesia de Cordib et in libro regine Folopedre; et loquitur de aliquibus castigamentis necessariis operibus ymaginum.

Et invenimus in libro qui repertus est in camera Folopedre regine ymagines compositas que mirabiles effectus operaque mirabilia suis proprietatibus et virtutibus faciebant. Et de eis proposuimus in hoc nostro libro ut huius sciencie non deficiat in aliquo facere mencionem. Ad percussiones reptilium sanandum. Recipe fel milvi siccatum ad umbram; et cum eo parum succi feniculi misceas, et ea in vase reponas vitreo. Hic autem pulvis oculis confert, et eos a percussione tarantularum, bivorarum, vesparum, colubrorum et ceterorum reptilium sanat et liberat. Nam si percussio fuerit ex parte dextra, hic pulvis ponatur in sinistra; et si fuerit in sinistra, ponatur in dextra. Cum autem hoc facere volueris, adde eis parum aque; et ter ut diximus facias successive.

Ut colubri a suis egrediantur foraminibus. Recipe vitrum de acri et limaturam eris crocei. Infundantur in crusibulo, quibus adde azernec rubeum et magniciem rubeam; deinde removeantur ab igne et fiant pecie minute. Postea recipe caput milvi cum ossibus suis (qui milvus repertus sit in terra Egipti), quod misceatur cum galbano nigro. Ipsa secundo fundas ad ignem, cum quibus ista secunda medicina misceatur; quo facto, auferatur ab igne. Et

facias ex eo unum scatanellum, quod in nostro idiomate dicitur sonalium; et sit granum positum intus eum ex adamante quod in terra reperitur Egipti. Cum autem hoc feceris, pulsa cum eo in ore foraminis bivorarum, serpentum et aliorum reptilium. Qui vero hoc scatanellum supradicto modo compositum ex ipsis serpentibus audiverint pulsantem, statim eorum foramina egredientur absque aliquo periculo illius qui hoc scatanellum exercebit. Proprietas vero avis predictae (scilicet illius milvi supradicti) est quod, quando vociferat et colubri eam audiunt, eorum egrediuntur foramina et eius voce mortificantur.

Ad congregandum mures in loco uno. Recipe succum foliorum vitis albe, succum squille, attincar, iusquiamum et tuciam Indicam rubeam. Attincar vero et tuciam pulveriza, que cum succis supradictis misceas; et ex eis facias pillulas ad magnitudinem cicerum, et ad umbram eas siccari permittas. Cum autem volueris mures insimul coadunare, pone unam ex dictis pillulis supra carbonem ignis. Et cum mures fumum senserint, omnes congregabuntur ibidem; et ex eis quod volueris facies.

Ut pisces ad locum quem volueris coadunentur. Recipe panicum, quod ad putrefaciendum ponas. Et cum putrefactum fuerit, misceas cum eo sepum, fabas pulverizatas, et cum sanguine bovino; et tam bene misceas ea ut omnia in uno corpore sint redacta. Deinde ipsum pone in una arundine; et cum filo canabi ipsum aptabis. Deinde dictam arundinem proice in locum ubi sunt pisces; cuncti enim pisces ibidem existentes circa arundinem illam congregabuntur, quos cum retibus ad tuum velle capere poteris.

Ad capiendum aves in arboribus dormientes. Recipe sepi testudinis terrestres, granorum lirii, opopanax, condisi partes equales. Pulveriza omnia et insimul bene pista. Et cum urina asini ex ipsis facias massam, ex qua pillulas ad cicerum magnitudinem conficias, quas ad umbram permittas siccari. Cum autem opus fuerit, accipe unam testam accensis carbonibus repletam, in qua unam ex dictis pillulis proice, et ex hoc suffumiga locum ubi sunt aves; tuasque nares obtura cum bombice ne sentias fumum. Omnes enim aves dictum fumum sentientes ut mortue cadent in terram; ipsasque ad tuum capias velle. Quas si volueris sanare, lavabis earum pedes cum aqua calida; et liberabuntur.

Ad Idem. Recipe mandragoram et armoniacum; et ea cum succo cicute viridis confice. Et facias ex eis pillulas, quas siccari permittas. Et ex eis sub arboribus ubi sunt aves facias suffumigacionem; hoc autem facias dum tempus fuerit quietum absque vento. Omnes enim aves ipsum sentientes fumum quasi mortue cadent ad terram.

Ad visum acuendum. Facias enim coronam ex ramis cuiusdam arboris catlam nuncupate, quam goboram esse puto, et eam pone in tuo capite; et dum ipsam in capite teneris, tuus taliter vigorabitur visus quod parvissimum poteris a longe videre. Cum autem ipsam a tuo capite deposueris, tuus visus in gradum pristinum redibit. Si vero cum succo foliorum ipsius arboris cum aceto vini mixto unxeris, morphea sanabitur in instanti.

Ut quis non inebrietur. Facias ex latone unum vas quantum subtilius poteris. Deinde recipe aceti vini per alembicum distillati, succi caulium et succi ciperi partes equales; et insimul omnia misce. Hoc peracto, supradictum vas in prelibata mixtura tociens extingue quousque ex ea bibent unam libram; deinde eleva dictum vas. Cum autem bibere volueris, unge vas iam dictum cum oleo amigdalarum amararum, et cum eo quantum volueris bibe; et

numquam inebriaberis.

Ut musce non accedant mensam. Recipe condisum recens, auri pigmentum croceum, terre cofanos siccos; omnia insimul bene pistata et optime pulverizata cum succo squille misceas. Et ea cum oleo unge, et eciam unge oleo manus tuas. Ex mixtura autem predicta facias ymaginem in forma musce, quam ponas supra mensam; et quamdiu supra mensam steterit nulla musca ibidem remanebit.

Ad colubros et reptilia expellendum. Recipe pellem leopardi, que dometur et blandiscetur ut coria; et ex ea facias strapuntam. Aliqua vero bestia venenosa ibidem non poterit permanere.

Ad fugandum colubros. Recipe aristologiam rotundam, et eam misceas cum carnibus racani, quod est lacerta magna viridis. Quas insimul peroptime pistabis; quibus addas fel leonis. Et ex ipsis facias pillulas; cum autem volueris operari ex eis, distempera unam ex dictis pillulis cum aqua de anoxatir, et cum ea scribe in carta sive in pergameno id quod scribere volueris; et ipsum in panno ligabis. Qui autem hunc pannum secum portaverit omnes fugabit colubros; et si aliquis ex colubris dictum tetigerit pannum, morietur statim.

Ut vapores similes igni eleventur. Recipe radicem herbe que dicitur cotrop; hec autem herba lucet in nocte ac si esset candela. Quam radicem cum cerebro cervino et cum felle bovino peroptime pistabis; et facias ex eis pillulas. Si autem unam ex eis in ignem stercoris posueris, mirabilis elevabitur fumus ex quo totum celum rubeum apparebit, et elevabuntur vapores qui similes flammis videbuntur igneis. Omnes enim hoc videntes timebunt. Hoc autem fieri non debet nisi in tempore nebuloso et spisso.

Si hoc lumen ante te steterit, nihil videbis; si sit post te, videbis omnia que in domo sunt. Recipe pinguedinem delfini, et unum perunge licinium cum [azer nec et] aziniar pistata. Et pinguedinem pone in crusibulo de ere facto; et in dicto crusibulo ponas dictum licinium. Et eum accende; quod faciat lumen quod si quis in manibus tenuerit nihil videbit, et qui post ipsum dictum lumen habuerit cuncta in domo existencia videbit.

Ut mulier non concipiat. Facias ex ere formam simie, et in sua spina perfora eam; quam impleas scammonia. Et cum volueris iacere cum muliere, liga dictam formam ad tibias tuas; et mulier non concipiet.

Ut canes tibi non latrent. Recipe radicem mandragore, ipsamque bene pistatam cum lacte canis femine incorpora. Et ex eis facias ymaginem canis, et porta tecum; et tibi non latrabunt canes, sed ante te fugient omnes.

Ut ferrum convertatur in aquam. Recipe herbe que dicitur comesir, squille et corticum malorum granatorum viridium partes equales. Pistentur bene omnia, misceantur et cum aceto vini distemperentur; et distilla ea per alembicum. Et multociens extinguas ferrum in ipso aceto; et in aquam convertetur. Et eam sic stare permittas per horam et dimidiam; et postea evacua inde acetum. Inveniesque ferrum totum lucens et currens et in unum coadunatum.

Ut pannus absque igne comburatur. Recipe marchasitam auream, quam peroptime pistabis; et ipsam misceas cum aceto vini fortissimo. Et ea facias per alembicum in vase vitreo distillari; et ipsum sub stercore situabis, ibique eum dimittens per spacium xiiii dierum. Postea inde eleva, et iterum eum pone per totidem dies in furfure. Postea extrahe inde et cum eo unge quem volueris pannum; ipseque pannus ab ipso tamquam ab igne comburetur.

Aqua que comburitur, et omnia videntur rubea. Recipe calcantum Cypri, quem in furno bene calido assabis, ibique eum per noctem unam dimittas. Mane autem extrahe ipsum inde; et invenies eum totum rubeum. Sin autem, permittas ibidem per aliam noctem permanere usque quo fiat rubeum; et cum fuerit rubicundum, extrahe. Et optime pistabis; et desuper ipsum proice acetum vini distillatum, cuius quantitas sit quinquies quantum fuerit calcantum. Deinde pone eum in vase vitreo; ibique eum per triduum dimittas, et in quolibet die ter misceas ipsum. Postea pone eum ad bulliendum, et optime spuma; inde enim emanabitur aqua rubicunda sicut color iargonze. Hanc vero aquam in crusibulo ponas, in qua accendas licinium. Hec enim aqua ardebit; et ex ipsius lumine tota domus in colore rubeo (videlicet, in colore iargonze) apparebit, et ut iargonza tota domus relucebit.

Ad faciendum tarantulas virides que interficiunt percuciendo. Cum autem hoc facere volueris, tota die usque ad noctem ieiunabis. Nocte vero accipe ex herba basilicon silvestris nuncupata, quam mastica bene; et sic ipsam masticatam pone in canulo vitreo, cuius os optime obturabis. Ponasque eum in domo obscura ubi nec Sol nec aliquod aliud appareat lumen, et ibidem permittas xl diebus stare. Postea eleva ipsum inde; in qua tarantulas invenies virides que, si aliquem percucerent hominem, interficerent ipsum. He vero tarantule proprietatem habent: quas si in oleo olivarum posueris ad Solem et ibidem permiseris stare xxi diebus vel per tale spacium, quod moriantur et in oleo dissolvantur. Si percussiones tarantularum cum oleo unxeris illo, sanabuntur; et si ex ipso aliqua gutta super tarantulam ceciderit, morietur in instanti.

Ad faciendum serpentes rubeos. Recipe telarum aranearum magnarum; et ponantur in lacte asinino in canulo vitreo. Et per iii dies morentur ibidem, quibus consumptis removeantur ab eodem. Et addatur pinguedo testudinis; et pulverizentur optime quousque revertantur ad modum cerebri. Et omnia aptentur in panno laneo rubeo, et in fimo per septem dies sepeliantur; in quorum fine invenies serpentem rubeum. Quem si posueris in loco ranarum rutellarum, fiet serpens ad instar draconis, quia rutella in terra Egipti inimicatur draconi quoniam cum videt eum percucit ipsum draconem, et sic vadit eum vulnerando donec moriatur.

Ad fugandum cimices. Recipe unum pilum colli eque virginis, quem pilum accipias prima vice quando equus iungitur ei. Deinde facias figuras cimicum quantas capere poterit idem pilus, disponendo eas ad formam racemorum uvarum. Postea accipe predictum racemum, quem in vase ereo croceo reponas, ipsiusque os optime obturando; quod sepelias in medio domus. In ipsa vero domo cimices numquam attingent dum predicta ibi permanserint. Ut lumen faciat quodcumque lignum volueris. Recipe pinguedinem canis marini, quam misceas cum oleo lauri, sapone et modico sulfuris quousque incorporentur. Et si cum ipso lignum qualecumque volueris liniaris, accendetur lumen ad instar candele nec extinguetur usque ad consumptionem ipsius ligni. Predictum autem opus est ex operibus Antiochie.

Ad fugandum lupos et omnia animalia mala. Hoc autem opus facias cum uno tamburo ad hoc specialiter facto, cuius compositio talis est. Recipe <e>ricium marinum; ipsumque decollabis, et ex suis spinis spoliabis. Ipsum autem excoriabis, cuius corium aptetur et liniatur secundum confectiones aliorum coriorum. Postea accipe ipsum corium, quod optime extendas super tamburum vel nacaram eream; et usui reservabis. Cum vero predictas bestias

fugare volueris, pulsabis dictum tamburum vel nacaram de nocte, quoniam omnes bestie male ad eius sonitum fugient et omnia reptilia predictum audiencia morientur.

Ut rane a lacubus removeantur. Recipe pinguedinem atimzach; et cum cera misceatur. Et ex eis fiant candelae cum licinio. Ipsamque candelam in quocumque loco volueris accendas; et rugitus ranarum totaliter extinguetur.

Captio tarantularum. Recipe agnum castum, cardellum album; conquassentur insimul. Et addas eisdem galbanum rubeum et lapidem de bezahar optime pulverizatum; et omnia cum succo de sarza incorporentur. Ex qua massa facias ymaginem tarantule; ex residuo vero confectionis fiant pillule, que siccentur ad umbram. Postea ponas ante te ymaginem predictam, et ex ipsis pillulis proicias in ignem suffumigando; omnes autem tarantule eiusdem loci ad ipsam ymaginem congregabuntur. Credo tamen quod virtus suffumigacionis maiorem influenciam ipsa ymagine obtinet in predictis.

Omnes autem ymagines et confectiones predictas ex libris Agriculture Caldee accepimus, quas ideo hic ponere decrevimus ut hic noster liber magis completus existeret. Tu autem qui hunc librum legere intendis quantumcumque poteris ipsum teneas secretum, et nemini eum nisi merenti, apto et disposito ad hanc artem propales. Pauci enim sunt isti; nec valeas tua secreta nisi tibi metipsum ipsi revelare.

Semper enim memento castigaciones et documenta que Zucrat sapiens suis discipulis in fine sue vite docuit. Prima: vestras naturas disponite et ordinate ut complete in his et huic arti pertinentibus ex se ipsis intelligentes existant; maximum enim adiutorium in operando habebitis. Secunda: vestra quidem secreta et puritates numquam nisi in cordibus vestris disponite cum ex temporibus securi non sitis; nam sicut tempora mutacione mala et tortuosa super vos disponuntur, ita disponuntur super vos mutacione directa et bona. Tercia: ne vobis occurrant postquam eritis dispositi ad recipiendum augmentum et ascensionem despiciat nec ipsa pro pauco habere velitis. Quarta: vestros enim amicos paulatim querite et bona voluntate create quemadmodum puer creatur, nec eis vestros amores vestrasque bonitates subito nisi paulatim ostendite; nam si quid a vobis voluerint et in uno comprehenderit ictu, eorum amicitia non durabit, sed potius fient inimici. Quinta: quantumcumque poteritis advertamini et tortuosa et turpia fugite; nam ex his nobilitas damnatur et corrumpitur bonitas. Sexta: vestros autem amicos diligite, nec ab eis ius vestrum in omnibus completum habere velitis; hoc ordine servato, in durabili amicitia permanebitis. Septima: vestros autem amicos ne reprehendatis continue in his que ipsi agunt; nam et vos talia et his similia estis dispositi agere. Octava: non opprobriose respondeatis a vobis aliqua petentibus; esset enim signum distinctum modice bonitatis erga Deum bonorum que vobis sua gracia sunt concessa. Imo petitiones indigentium in quantum poteritis, debito modo observato, impleatis cum effectu; et in talibus gracias Deo agere debetis indesinenter quod ad talem gradum et potenciam vos perduxit ut subvenire potestis petenti; quod dum sit arguit intencionem rectam et laudabilem ac prosperitatem in Deo. Nona: bonitates et naturas rerum pro viribus cognoscite quia per hoc vestre bonitates cognoscentur, et eas diligite; nam dilecti quodammodo eritis ab eisdem. Hec autem precepta docuit sapiens Zucrat suis discipulis in fine sue vite; sunt enim radices magice utiles.

Item explanabo septem documenta que Pithagoras approbavit. Primum:

pondera proportionaliter equatis, et ea in recta dispositione conservetis. ☐
Secundum: amicitias et amores vestros dirigite, et tamquam salutem predicta agite. Tercium: non accendatis ignem in loco viridi quod gladio amputatur. Quartum: voluntates et appetitus vestros dirigite, et eos recto pondere mensuretis in effectum; hec autem vestra corpora in debita sanitate tenentur. Quintum: recta et equali semper assuefacite; hoc autem amorem et amicitias gentium augebit in vobis. Sextum: tempora observetis et exercitetis secundum quod domini et iudices dicunt, observando quod hoc requiritur in mundo quantum ad vitam tuendam. Septimum: non impugnetis neque contaminetis spiritus et corpora vestra; imo observetis in debita temperantia ut ipsa semper necessitatis tempore operari possitis.

He autem sunt viginti octo mansiones Lune secundum Plinionem. Prima harum est ad destruendum et depopulandum, que mansio Alnath nuncupatur. Dum autem Luna in hac perambulaverit mansionem, facias ymaginem hominis nigri, in cilicio capillorum involuti et precincti, et in pedibus erecti, in suaque dextra dardum ad modum litigantis habentis. Hanc vero ymaginem facies in annulo ferreo; et suffumiga cum storace liquido. Et cum ipsa in cera nigra sigillabis, sic dicendo: Tu, Geriz, interfice talem filium talis mulieris breviter et cito; et destruas ipsum. Hoc observato, erit id quod volueris. Scias autem quod Geriz est nomen domini istius mansionis.

Secunda mansio est Albotayn, et est ad auferendum iram. Dum autem Luna hanc perambulaverit mansionem, accipe ceram albam et masticem, et ea super ignem incorpora insimul. Deinde amove hoc mixtum ab igne, ex quo formam regis coronati facias. Ipsamque cum ligno aloes suffumigabis, et dicas: Tu, Enedil, eice a me iram talis, et me rectifica cum eo, measque petitiones compleas erga eum. Et ymaginem quidem tecum teneas; et fiet quod volueris. Scias autem quod Enedil est nomen domini istius mansionis. Et hec est figura. Tercia mansio est Azoraye (id est, Pliades), et est ad acquirendum omne bonum. Cum autem Luna fuerit in hac mansionem, facias figuram mulieris sedentis, suam manum dextram supra caput tenentis pannisque indute, quam cum musco, camphora, mastice et ungula aromatica suffumigabis. Et dicas: Tu, Annuncia, facias sic et sic; et tuam dicas petitionem quamcumque volueris in bono. Hanc vero figuram in annulo argenti facias cuius mensa sit quadrata, ipsumque ponas in tuo digito. Cum autem ista supradicto modo feceris, fiet quod volueris et peticio tua complebitur cum effectu. Et scias quod Annuncia est nomen domini istius mansionis. Et hec est figura.

Quarta mansio est Aldebaran, et est ad acquirendum inimicitiam. Cum autem Luna hanc perambulaverit mansionem, accipe ceram rubeam, ex qua facias ymaginem hominis militis super equum equitantis, in eiusque dextra tenentis serpentem; quam suffumigabis cum mirra rubea et storace. Et dicas: Tu, Assarez, facias mihi tale quid, et meam adimpleas petitionem; et petas ex pertinentibus inimicitie, separacioni et male voluntati. Et fiet totum quod quesivisti. Et scias quod Assarez est nomen domini istius mansionis.

Quinta mansio est Almizen, et est ut a regibus et officialibus bene recipiaris. Cum autem Luna hanc perambulaverit mansionem, facias sigillum ex argento, in quo sit sculptum caput hominis absque corpore; et desuper hoc caput scribas nomen domini istius mansionis, et etiam in dicto sigillo scribas tuam petitionem qualiscumque fuerit. Et cum sandalo suffumigabis eum, et dicas: Tu, Cabil, mihi tale quid facias et meam compleas petitionem – scilicet, ut bene et optime reges et presides me recipiant. Cum autem hoc

feceris, tecum deferas sigillum istud; et adimplebitur peticio tua. Cum vero volueris aliquid in somno videre, pone hoc sigillum de nocte cum vadis dormitum sub capite tuo, cogitando semper in mente id quod volueris; et de eo quod quesiveris respondebitur tibi. Et scias quod Cabil est nomen domini istius mansionis.

Sexta mansio est Achaya, et est ad amorem inter duos ponendum. Cum enim Luna fuerit in hac mansionem, facias ex cera alba duas ymagines insimul amplexantes, quas in panno serico albo involvas. Et eas cum ligno aloes et ambra suffumigabis, et dicas: Tu, Nedeyrahe, coniunge talem et talem, et inter eos pone amiciciam et amorem. Et ex hoc fiet quod volueris. Et scias quod Nedeyrahe est nomen domini istius mansionis.

Septima mansio est Aldira, et est ad acquirendum omne bonum. Cum autem Luna hanc perambulaverit mansionem, facias sigillum ex argento, in quo sculpes ymaginem hominis suis vestimentis induti suasque manus versus celum extendentis in similitudine hominis orantis et supplicantis; in pectore quidem ipsius scribas nomen domini istius mansionis. Et cum rebus bonum habentibus odorem suffumigabis, et dicas: Tu, Siely, tale et tale quid facias, et meam adimpleas petitionem. Et petas id quod volueris ex pertinentibus bono. Sigillum autem tecum deferas; et erit id quod queris. Et scias quod Selehe est nomen domini istius mansionis.

Octava mansio est Annathra, et est ad victoriam acquirendam. Cum autem Luna peragraverit istam mansionem, facias ex stanno ymaginem aquile faciem hominis habentis; et in pectore eius scribas nomen domini istius mansionis. Quod cum sulfure suffumigabis, et dicas: Tu, Annediex, facias mihi tale quid, et mihi compleas talem petitionem. Cum autem hanc ymaginem hoc modo perfeceris, teneas ipsam ante exercitum; vincesque et obtinebis. Scias autem quod Annediex est nomen domini istius mansionis.

Nona mansio est Atarfa, et est ad infirmandum. Cum autem Luna hanc perambulaverit mansionem, facias ex plumbo formam hominis virga carentis suasque manus super oculos tenentis; et in suo collo scribas nomen domini huius mansionis. Quam cum resina pini suffumigabis, et dicas: Tu, Raubel, facias talem filiam talis in infirmitatem cadere vel ex ipsa talis filia sanguinem currere facias. Ex istis vero duobus unum quod volueris petas; complebitur enim quod volueris si recto tramite perfeceris supradicta. Scias autem quod Raubel est nomen domini huius mansionis.

Decima mansio est Algebha, et est ad sanandum infirmos et facere leviter parere mulierem. Cum vero Luna hanc percurrenit mansionem, facias ex auro vel latone formam capitis leonis; et desuper eum scribas nomen domini istius mansionis. Quam cum ambra suffumigabis, et dicas: Tu, Aredafir, eleva dolores, languores et infirmitates a meo corpore et a corpore cuiuslibet comedentis vel bibentis liquorem in quo hoc sigillum fuerit lavatum. Et quolibet die suffumigabis eum, et da infirmo ad portandum secum dictum sigillum vel lava ipsum cum aliquo liquore cuius lavaturam comedere vel bibere dabis infirmo aut eciam mulieri que dolores senserit partus. Et scias quod Aredafir est nomen domini istius mansionis.

Undecima mansio est Azobra, et est ut timearis et bene recipiaris. Cum vero Luna in hac fuerit mansionem, facias in tabula aurea figuram hominis supra leonem equitantis, dardum in dextra tenentis, sinistram vero tenentis super leonis auriculam; et in directo istius figure scribas nomen domini istius mansionis. Et dicas: Tu, Necol, da mihi gloriam ut timear ab hominibus et ut

cuncti me videntes me timeant, et placare corda regum, dominorum et aliorum virorum ut me recipiant bene et honorent. Hanc vero tabulam tecum deferas: et erit quod petivisti. Et scias quod Necol est nomen domini istius mansionis.

Duodecima mansio est Azarfa, et est ad separandum duos ab invicem se diligentes. Cum vero Luna hanc perambulaverit mansionem, facias in plumbo nigro figuram draconis cum homine litigantis; et in directo ipsius figure scribas nomen domini istius mansionis. Quam cum capillis leonis cum assa fetida mixtis suffumigabis, et dicas: Tu, Abdizu, disiunge et separa talem a tali. Et in loco quem volueris hanc ymaginem sepelias; et erit id quod volueris. Scias autem quod Abdizu est nomen domini istius mansionis.

Tercia decima mansio est Alahue, et est ad solvendum hominem qui cum muliere agere non potest et ad inter virum et mulierem ponendum amorem. Cum enim Luna hanc perambulaverit mansionem, facias ex cera rubea ymaginem hominis rictantis (scilicet, prepuccium habentis rectum); et sit per omnia similis homini volenti esse in amore mulierum; et ex cera alba facias ymaginem mulieris. Quas ymagines ambas adiungas insimul amplexantes, et eas cum ligno aloes et ambra suffumigabis. Et ipsas in panno albo serico in aqua rosacea balneatas involvas; et in qualibet ymagine scribas nomen illius quem volueris. Si autem mulier has ymagines secum portaverit, diligetur fortissime ab illo homine in ymagine nominato – scilicet, cum viderit eam. Quod si aliquis ligatus, qui non possit cum muliere agere, secum dictas ymagines portaverit, dissolvetur et cum muliere iacere poterit. Et scias quod Azerut est nomen domini istius mansionis.

Quarta decima mansio est Azimech, et est ad separandum hominem a muliere. Cum autem Luna hanc perambulaverit mansionem, ex ere rubeo facias ymaginem canis suam caudam proprio ore capientis. Quam cum capillis canis et capillis gatti suffumigabis, et dicas: Tu, Erdegel, disiunge et divide talem a tali muliere inimicicia et mala voluntate. Et nominabis illas personas quas volueris, et eam in loco quem desideras subterrabis. Et scias quod Erdegel est nomen domini istius mansionis.

Quinta decima mansio est Algafra, et est ad acquirendum amicitiam et bonam voluntatem. Cum vero Luna fuerit in eadem mansione, facias ex enque sigillum, in quo facias figuram hominis sedentis, cartam in manu tenentis in similitudine ac si legeret in ipsa. Et cum thure et nuce muscata suffumigabis eum, et dicas: Tu, Achalich, mihi tale et tale quid facias, et talem mihi compleas petitionem. Et ea petas que ad coniunctionem amicitie et amoris atque bone voluntatis pertinent; hanc enim ymaginem tecum deferas. Scias autem quod Achalich est nomen domini istius mansionis.

Sexta decima mansio est Azebene, et est ad lucrandum in mercimoniis (videlicet, in vendere et emere). Cum enim Luna hanc peragraverit mansionem, facias in lamina argentea figuram hominis super cathedram sedentis et in eius manibus tenentis balancias. Quam cum speciebus odoriferis suffumigabis, et eam ostendas stellis omni nocte usque ad septem noctes, dicendo: Tu, Azeruch, mihi tale et tale quid facias, et talem mihi compleas petitionem. Et petas pertinencia mercantiis vendendis et emendis. Scias enim quod Azeruch est nomen domini istius mansionis.

Septima decima mansio est Alichil, et est ut latro non intret domum ad aliquid furandum ibidem. Cum autem Luna in eadem permanserit mansione, facias figuram simie in sigillo ferreo, manum suam super eius spatulam

tenentis. Quam cum capillis simie et capillis muris femine suffumigabis, et ipsam in pelle simie involvas. Postea subterrabis eam in domo tua, et dicas: Tu, Adrieb, custodias omnia mea et omnia que in ista domo existant; nec aliquis eam ingrediatur latro. Dum autem supradicta sic peracta fuerint, nemo malus aut latro ipsam domum ingredi valebit. Et scias quod Adrieb est nomen domini istius mansionis.

Octava decima mansio est Alcab, et est ad febrem et ventris dolorem auferendum. Cum autem Luna hanc peragraverit mansionem, facias ex ere ymaginem colubri caudam super ipsius caput tenentis. Quam cum cornu cervi suffumigabis, et dicas: Tu, Egribel, custodi hanc domum meam ut eam coluber aliquis non ingrediatur nec aliqua alia bestia mala. Hanc vero ymaginem ponas in uno vase, quod in tua subterrabis domo; quamdiu dicta ymago fuerit ibidem, non ingredietur serpens aliquis nec alia bestia mala. Si quis autem febrem aut ventris dolorem paciatur, hanc ymaginem secum deferat; et liberabitur statim. Et scias quod Egribel est nomen domini istius mansionis.

Nona decima mansio est Axaula, et est ad faciendum currere sanguinem ex muliere. Cum autem Luna hanc perambulaverit mansionem, facias ex henc (quod est una maneries eris) sigillum, in quo sculpes formam mulieris manus suas super faciem tenentis. Quam cum storace liquido suffumigabis, et dicas: Tu, Annucel, facias sanguinem decurrere talis mulieris – ipsam nominando. Et fiet quod queris. Si vero mulier hanc ymaginem supra coxas ligatam habuerit, leviter et absque periculo pariet. Et scias quod Annucel est nomen domini istius mansionis.

Vicesima mansio est Alnaym, et est ad venandum in terra. Cum autem Luna fuerit in eadem mansione, facias in tabula stanni figuram caput et manus hominis, corpus equi cum quatuor pedibus et caudam habentis et in manibus arcum tenentis. Quam cum capillis vulpinis suffumigabis, et dicas: Tu, Queyhuc, fac me habere omnem terre venacionem, et quod statim veniant ad me. Et sic istam ymaginem deferendo leviter omnem capies terre venacionem. Et scias quod Queyhuc est nomen domini istius mansionis.

Vicesima prima mansio est Albelda, et est ad destruendum. Cum autem Luna hanc perambulaverit mansionem, facias ymaginem hominis duas facies habentis, scilicet unam ex parte anteriori et aliam ex parte posteriori. Quam cum sulfure et carabe suffumigabis, et dicas: Tu, Bectue, evacua locum talis, et destrue eum. Ponas enim hanc ymaginem in bussula eris, et cum ea ponas sulfur et carabe et eciam capillos, et subterra eam in loco quem volueris; et fiet id quod quesivisti. Et scias quod Bectue est nomen domini istius mansionis.

Vicesima secunda mansio est....

Vicesima tertia mansio est Zaadebola, et est ad destruendum et devastandum. Cum autem Luna permanserit in illa mansione, facias sigillum ferreum, in quo facias ymaginem gatti caput canis habentis. Et ipsam cum capillis canis suffumigabis, et dicas: Tu, Zequebin, talem et talem locum evacua, et eum destrue et devasta. Cum autem hec mansio fuerit in ascendente, hoc sigillum ostendas stellis; et in sequenti nocte dictum sigillum subterra in loco quem destruere volueris. Et fiet quod queris. Et scias quod Zequebin est nomen domini istius mansionis.

Vicesima quarta mansio est Caadazod, et est ad augmentandum armenta. Cum vero Luna fuerit in eadem, recipe cornu arietis castrati, quod bene munda et apta optime; et in ipso facias figuram mulieris in suis brachiis filium

in similitudine lactantis tenentis. Et ipsam suffumigabis cum illa mundatura quam accepisti a dicto cornu, et dicas: Tu, Abrine, emenda et dirige armentum talis. Postea apta dictam ymaginem super collum unius arietis ipsius armenti; si autem hoc feceris pro armentis vaccarum, facias ista cum cornu bovino, et apta ipsum super collum tauri. Et augmentabuntur dicta armenta, nec mortalitas superveniet eis. Scias autem quod Abrine est nomen domini istius mansionis.

Vicesima quinta mansio est Zaalahbia, et est ad custodiendum arbores et messes a malis occasionibus. Cum autem Luna fuerit in eadem, facias sigillum ex ligno ficu, in quo facias figuram hominis in similitudine arbores plantantis. Et cum floribus arborum suffumigabis ipsum, et dicas: Tu, Aziel, custodias messes meas atque meas arbores ut aliquod damnum aut aliquam malam occasionem non habeant. Et collocabis dictam ymaginem in una arbore in loco quem volueris custodiri. Dum autem illa ymago sic peracta permanserit, damnum aliquod non eveniet ibidem. Et scias quod Aziel est nomen domini istius mansionis.

Vicesima sexta mansio est Alfarg primus, et est ad generandum amorem. Cum autem Luna permanserit in eadem, recipe ceram albam et masticem, quas liquefacias insimul; ex quibus facias ymaginem mulieris capillos dissolutos habentis, ante se unum vas in similitudine ac si vellet suos capillos aptare tenentis. Et ex rebus redolentibus suffumigabis eam, et dicas: Tu, Tagriel, trahe me ad amorem et amiciciam talis mulieris. Ponas enim hanc ymaginem in bussula, et cum ea ponas ex rebus optime redolentibus, et eam tecum deferas; nam id complebitur quod petivisti. Et scias quod Tagriel est nomen domini istius mansionis.

Vicesima septima mansio est Alfarg posterior, et est ad damnificandum balneum. Cum autem Luna fuerit in eadem, accipe terram rubeam, ex qua ymaginem hominis habentis alas facias, vas vacuum et perforatum in manibus tenentis ipsumque ad suum os elevando. Postea ponas totum in ignem quousque sit coctum. Postmodum pone in dicto vase assam fetidam et storacem liquidam, et dicas: Tu, Abliemel, damnifica tale balneum talis hominis – et nominabis quem volueris. Et in eodem balneo dictam ymaginem sepelies; et taliter damnificabitur balneum illud quod nemo ad balneandum se veniet ad eum. Et scias quod Abliemel est nomen domini istius mansionis.

Vicesima octava mansio est Arrexe, et est ad congregandum pisces ad locum unum. Quando vero Luna fuerit in hac mansione, facias de henc (que est una maneries eris) sigillum, in quo sculpes ymaginem piscis spinam coloratam habentis; in cuius vero latere nomen domini istius mansionis scribas. Et cum corio piscis marini eum suffumigabis. Postmodum ipsum filo ligabis; et proice in aquam – videlicet, ad locum ad quem volueris pisces coadunari. Omnes autem pisces circa eandem partem astantes congregabuntur ibidem, quos capies ad tuum velle. Et scias quod Anuxi est nomen domini istius mansionis.

Scias enim quod in cunctis ymaginibus supradictis debes scribere nomen domini mansionis, et tuam petitionem cum eo. Sed omnia que fiunt ad bonum et causa congregandi, coadunandi, generandi amiciciam et amorem, scribere debes in pectore ymaginis; et opera que fiunt causa disiungendi, separandi et generandi inimicicias et malam voluntatem, post spatulas (scilicet, in spina ipsius ymaginis) scribere debes; omnia vero que ad gloriam,

honorem et altitudinem acquirendum fiunt, debes scribere super caput ipsius ymaginis. Et sic finitur.

Oracio Saturni. Quermiex, Tos, Herus, Quemis, Dius, Tamines, Tahytos, Macader, Quehinen; Saturne! Veni cito cum tuis spiritibus.

Oracio Iovis. Bethniehus, Darmexim, Maciem, Maxar, Derix, Tahix, Tayros, Deheydex, Mebguedex; Iupiter, Bargis! Veni cito cum tuis spiritibus.

Oracio Martis. Guebdemis, Hegneydiz, Gueydenuz, Magras, Herdehus, Hebdegabdis, Mehyras, Dehydemes; Mars rubeus, Baharam! Veni cito cum tuis spiritibus.

Oracio Solis. Beydeluz, Demeymes, Adulex, Metnegayn, Atmefex, Naquirus, Gadix; Sol! Veni cito cum tuis spiritibus.

Oracio Veneris. Deydex, Gueylus, Meylus, Demerix, Albimex, Centus, Angaras, Dehetarix; Venus, Neyrgat! Veni cito cum tuis spiritibus.

Oracio Mercurii. Barhuyex, Emirex, Hamerix, Sehix, Deryx, Meyer, Deherix, Baix, Faurix; scribe, Mercurius! Veni cito cum tuis spiritibus.

Oracio Lune. Guernus, Hedus, Maranus, Miltas, Taymex, Ranix, Mehyelus, Degayus; Luna! Veni cito cum tuis spiritibus.
Leyequin, Leyelgane, Leyequir, Leyequerich, Leyeric, Leyerus, Leyexeris.
Hec nomina scribe in manica, quam comburas; et dum comburitur legas nomina supradicta. Et ex hoc amor et amicitia movebuntur.

Et sic finitur liber sapientis Picatricis in mathematicis.



An image of the SUN

An image of JUPITER



An image of VENUS

Picatrix

